T. CORCORAN, S. J., D. Litt.,
DUBLINI IN HIBERNIA SCIENTIAE PAEDEUTICAE PROFESSOR

Renovatio Litterarum

IN SCHOLAS SAEC. A. C. XVI DEDUCTA

AD USUM ACADEMICUM
IN COLLEGIO DUBLINENSI
UNIVERSIT. STUD. NATION. HIBERN.
IMPRESSUM
ANNO MCMXXV

RENOVATIO LITTERARUM

T. CORCORAN, S. J., D. Litt.,
DUBLINI IN HIBERNIA SCIENTIAE PAEDEUTICAE PROFESSOR

Renovatio Litterarum

IN SCHOLAS SAEC. A. C. XVI DEDUCTA



AD USUM ACADEMICUM
IN COLLEGIO DUBLINENSI
UNIVERSIT. STUD. NATION. HIBERN.
IMPRESSUM
ANNO MCMXXV

6582

LOVANII
EXCUDEBAT H. BOMANS
MCMXXV
RUE DES FLAMANDS, 89
LOUVAIN (BELGIQUE)

PRAEFATIO

Cum Parisiis primo, deinde Florentiae sub finem saeculi XVII dicatum Christianis litterarum magistris de ratione discendi et docendi opusculum ex decreto Cong. Gen. S. I. XIV edidit I. Iuventius, inter alios plures scriptores Iacobum Sadoletum de liberis recte instituendis, Laurentium Vallam de Latini sermonis elegantia disserentes commendavit. Idem de recentioribus addidit « Parce illi obiterque salutandi : in veteribus habitandum ». Consilii huius tum veteranis non inutilis, tum tironibus saluberrimi pro re nata ducem sequimur et auctorem.

Itaque per annos hos septem apud alumnos huius Collegii provectiores, qui primo gradum in Artibus academicum deinde Diploma Superius περὶ τῆς παιδευτικῆς assecuti ad Magisterium in hisce disciplinis pervenire cupiunt, in more erat illam ita tractare aetatem, qua per plures Europae populos renovatae fuere litterae antiquae, ut ex fontibus ipsi hauriant eque scriptoribus eius aevi egregiis veritatem potius derivent quam rivulos doctrinae consectentur vel in manca et ieiuna ex libris secundariis cognitione acquiescant.

Proponebantur igitur excerpta nonnulla Budaeum et saeculum illud Victorianum ad Lipsium usque referentia singulis annis excutienda : quae quidem satis diu perscrutati iustam iudicandi sollertiam inde comparatam ad alia simili de re scripta examinanda applicarent. Illos enim Restitutae Latinitatis LXXX

fere annos praecipua cura perlustrandos duximus, quando post Romam regnante Clemente VII P. M. expugnatam atque direptam antiquarum litterarum studia fervidam et inquinatam interdum iuventam tandem egressa mediae iam aetatis pollebant matura dignitate, adulto vigore, sanctiore disciplina : qua etiam tempestate magno adhuc apud optimates favore valentia, ab aulis tamen indies magis seiuncta et in scholas vere publicas ubique deducta latius deinceps auctoritatem suam provehebant et ad popularem sensum cultusque civilis normam pressius sese conformabant. Insuper placuit inspicere quaedam ab insignioribus aetatis prioris viris, a Flavio, a Traversario, a Politiano, a Pico exarata, quo plenius ad comparativam illam indicationem studiorumque nostrorum finem perveniremus. Adumbrationem quoque adhibuimus aliquam Primae quam hodie vocant Renovationis Litterarum e monumentis tum Latinis tum Graecis depromptam.

Ampliore autem sententiarum delectu expositi sunt scriptores tres eximii, Budaeus, Vives, Sadoletus, qui eodem tempore per Latinos quos nunc vocant populos ac regna exstiterunt clari. Ex ipsorum etiam dictis has gentes ac regiones liquet illa aetate consociatas fuisse litterarum atque artium commercio et communi doctores inter discentesque studiorum vinculo artissime coniunctas. In Gallos sane Hispanosque vaticinium cladis Italicae cecinit Tifernas :

« Barbara gens Italos venit eversura penates, »

idemque spe prope omni orbatum se esse declaravit :

« O patria, o tellus olim invictissima, tu nunc,
(Heu facinus) cunctis obvia praeda iaces. »

At Romam haud longe postea advectus e media Gallia M. Antonius Muretus « non ex immani aliqua et inhospitali Barbaria » inquit « sed ex ea provincia venio quae cum antiquitus eloquentiae studiis vel maxime floruit, tum hoc tempore, ut uni Italiae facile cedit, ita ceteris omnibus facile antecellit. » Eandem Italiam humanitatis et antiquitatis restauratricem qua pietate colebat Iustus Lipsius depingit ipse adhuc iuvenis (n. 76) ; quo desiderio illam respexit matura aetate testatur Patavium scribens (a. 1592) : « O Italia, quam vidi olim, non pernovi, quando te regustabo ? Ita me deus amet, ut hoc aveo ». Et postea : « Ego Italiae amorem non exui, parentis olim et nunc ingeniorum, et altricis » ubi « nescio quomodo attollatur et grandior sese fiat animus, aspectu tot sublimium et grandium rerum ». Principem igitur apud nos locum teneant scriptores Italici : scripta vero Budaei, quippe quem vel sui cum saepius honoris causa nominent, rari tamen perlegunt, amplius prae ceteris revocanda duximus.

Minime autem res eas indagamus, quae propter vetustatem e memoria hominum evanuere. Quae enim docendi normae per Medium illud Aevum ideo fuerunt stabilitae ut iuventus intra studiorum academias absolutius excoleretur per IIII disciplinas superiores ac severiores ex artibus VII liberalibus desumptas perque triplicem philosophiam omnium illarum artium magistram, eaedem prorsus post redintegratam antiquitatis culturam translatae sunt ad litteras humaniores et inferiores — linguas nimirum Latinam Graecamque — sollertius discipulis tradendas. Immo longe recentius ad linguas vernaculas efficacius docendas arces-

sita est perennis haec erudiendi ratio, quae per scholas Galliae Italiae Hispaniae latissime propagata verum in populos diversos hac nostra aetate imperium obtinet.

Toti quoniam in eo sumus ut cuiusque scriptoris sententiam ac voluntatem exploremus, verborum forma atque interpunctio diu in libris edendis intermissa, disciplinae causa interdum servatur. Circa dictiones vero stylumque scriptorum haud diu commorandum, praesertim cum alter alterius indolem saepius observabat. Sic Erasmus : « Non est alius Graecanicae supellectilis ditior eximium huius aetatis decus Iacobus Sadoletus, admirabili sermonis nitore et copia plane Ciceroniana : nec deest affectus Episcopo Christiano dignus » (a. 1533) : idem et antea in eodem laudavit « admirabilem eloquentiam cum singulari sapientia pietate modestiaque coniunctam » (a. 1533), sed addit subinde « vereor ne apud complures ipse phraseos nitor nonnihil hebetet aculeos ad pietatem ». Sadoletus vero eodem anno (1535) ad Cardinalem de Tournon scribens « Budaeum vellem genere ipso orationis, » inquit, « aliquanto esset lenior. Summum quidem illius ingenium, innocentiam vitae et probitatem et dilexi semper et admiratus sum. » Testes sic et spectatores vivos ac praesentes, si opus est, ad concilium advocemus : plurimi simul atque gravissimi aderunt. Proba vero et maledicta more suo in se invicem a scriptoribus prioris aevi ingesta (« in quorum scriptis », ut ait Erasmus, « desideratur illa ad unguem exacta polities ») dum curiosius et prolixius percensebant non pauci recentiores, operam plane perdiderunt, nedum nimis durae severitatis nota re-

natas ipsas litteras revocatasque artes antiquas inusserint. Sane si vitiosam vitae rationem admiserunt praestantes quidam illius aevi scriptores, labes tamen ea in tractatus eorum de scholarum disciplinis vix ac ne vix quidem redundavit.

Non eo tendit proposita huius libelli ratio ut notiones quae inter disputandum enatae sunt et in adversaria fuse relatae, eae hoc in loco catervatim explicentur. Quin et a principio et a scopo suo abluderet prorsus opus susceptum, si hic denuo dilatarentur usitatae nostrae praelectiones, vel etiam summatim in librum conferrentur. Tunc enim studiosae iuventutis exercitationes erunt fructuosae, quando sapiunt ac tueri cupiunt opiniones ac coniecturas a se ipsis elaboratas, commentante at non praescribente magistro. Tunc maxime valet docentis auctoritas, quando auditores prolatis variis opinandi normis ad certamen ingenii atque dexteritatis ita provocat, ut sententiam vere propriam ex ipsis scriptorum verbis suo marte elaborent et eruant, erutam libere severeque excutiant, excussam atque edolatam enucleate enuntient, ac tandem ex aliorum scriptis illustratam et corroboratam ad usus nostrae aetatis considerate traducant. Historia enim institutionis liberalis et civilis ita tractanda est, non ut a vitae muneribus feriata eruditioni otiosae et obsoletae inserviat, sed ut in cotidiana docendi ratione et in scholis administrandis usui sit, dum principiis bene stabilitis instructi novas usque difficultates suscipiamus enodandas, novis necessitatibus prospiciamus. Suis igitur ipsorum verbis loquantur quam plurimum ipsi primarii scriptores :

iisdem verbis innitantur et expleantur sententiae definitivae ab auditoribus propugnandae.

Duplex disputandi genus opportune auditoribus proponetur : unius tantum exempla quaedam hoc in libello inveniet lector, illius nempe in quo singula apud plures scriptores ἐρωτήματα ἢ προβλήματα persequimur. Interdum etiam de uno excerpto disseretur ; apto tum ordine varia rerum et sententiarum momenta in illo observanda erunt et minutatim examinanda. Quam quidem disputationis materiem facillime, ut patet, ex ipsis scriptoribus sibi quisque eligere poterit : quin etiam novas prioris generis quaestiones, si modo legendo et notando profecerit, ipse excogitet, efformet, solvat. Prima enim velut vestigia studiosae lectionis atque lineamenta in praesens indicamus : per haec enitendum ad singulos scriptores, praestantiores saltem, uberius tractandos. Facto ex illorum operibus sollertiae periculo, ad libros recentiores expendendos, parcius tamen, divertere licebit. Consulto non omnes optimae notae scriptores in hunc libellum attulimus : Gaguinum, Amasaeum, Robortellum, Gyraldum, Floridum Sabinum aliosque non paucos ipsi auditores adibunt.

Prosunt haec studia magistris scholarum, si non inter subsidiarias librorum cohortes fluitanti animo haerent, sed illico militari velut via munienda ad fontes usque iter ipsi conficiunt. Quam ad custodiam semper erit advigilandum : animo tum maxime inter studia nostra excubamus, cum sententiarum tabulas accurate describimus. Itaque ne quis assiduam illam scriptorum lectionem praetermittat, locorum tantum atque nominum indices ad calcem sunt appositi : eru-

ditorum virorum effata et iudicia ceterasque res notatu dignas in certa et idonea capita distinguat unusquisque atque enucleate pro se exponat. Haec necessaria sunt doctrinae primordia : haec futurae eruditionis incunabula.

Scribendi sollertia sic comparata cum Magisterium adepti in schola nostra alumni historiam institutionis humanioris exarare volunt et Doctoris lauream peracto feliciter opere accipere, ad monumenta plerumque se conferunt Hiberniae publica, quorum copiam hac in re satis magnam ad manum habemus. Qua in palaestra vires suas coniunctim experiri solent : distributo per partes scriptoris munere et velut in orbem congregati culturam ingenii Hibernici avitam, Hibernico-Gadelicam pariter et Graeco-Latinam, liberalem eandem et vere popularem, creberrimo eversorum impetu per hosce CCCC annos continuos vexatam at nunquam e sede sua et patria deturbatam, in lucem iam atque veritatem ex aliqua parte vindicant.

Disceptationes hasce de Litterarum Renovatione in scholas deducta, quae natura sua magis universae sunt atque generatim exponendae, brevi, ut speratur, excipiet volumen alterum de scholis eadem illa aetate administrandis atque regendis. Penitius tum ea erunt investiganda, quae πρὸς τὴν τεχνικὴν παιδείαν spectant.

T. C.

DUBLINI
Kal. Sext. MCMXXV.

SERIES

EXERCITIORUM ATQUE EXCERPTORUM

Exercitia quaedam studiosae iuventuti proposita :

	Pages
I. Quatenus Christianae vitae laudem prosecuti sunt Latinitatis et antiquitatis cultores	1
II. Duplex humaniorum studiorum ratio et finis . . .	3
III. Quomodo post renatas litteras mutatus fuit stylus .	4
IV. Num deest aliquid antiquis de veritate Christiana Scriptoribus	6
V. Quaenam optima studiorum initia ?	6
VI. An bonarum artium disciplinis utilitatem aliquam attulerunt Ciceroniani ?	8
VII. An Platoni potius quam Aristoteli favebant litterarum antiquarum restauratores ?	10
VIII. Mansuetiores artes persequitur usque Gens Medicaea	12
IX. Quasnam ad normas tradenda est Grammatica ? .	14
X. Quanti apud eloquentiae cultores Quintiliani auctoritas ?	16
XI. Nonne sublatius de se deque aetate sua praedicare solebant litterarum antiquarum cultores ? . . .	17
XII. An inter se pugnant eloquentia et philosophia ? .	20
XIII. An sermo patrius Latino potior habendus ? . .	21
XIV. Quem in ordinem redigenda sunt linguarum antiquarum studia ?	23
XV. Quam consecutae sunt praestantiam litterae Graecae ?	24
XVI. Quaenam ferenda de disputationibus academicis sententia ?	25
XVII. Disciplinae severiores an a Musis semper aversae ? .	26
XVIII. An gerendae sunt in scholis scenicae personae ? .	27
XIX. Qualis honos puerorum scholis habebatur ? . .	28
XX. Quousque se porrigit artium liberalium orbis ? . .	30
XXI. Artium liberalium disciplinae in ordinem redactae .	31
XXII. Qua in opinione habebatur Sermo Italicus apud Latinitatis et antiquitatis cultores ?	32

XXIII. Quibusnam vinculis coniunctae sunt inter sese septem artes liberales? 33
XXIV. Litterarum humaniorum apud Parisienses per centum annos vicissitudines. 35
XXV. Urbes scientiarum humaniorum fautrices. . . . 38
XXVI. An pietati in patriam obstabat vetustatis venatio? . 40
XXVII. Artium politiorum varietates et fortunae . . . 42
XXVIII. Quatenus in Academia Parisiensi ante Budaei aetatem excultae fuere artes liberales? 44
XXIX. Humanitatis et antiquitatis Studia apud Hispanos . 45
XXX. An congruunt doctrinae de studiis artium liberalium excolendis tum in Orientis tum in Occidentis partibus receptae? 46

EXCERPTA EX SCRIPTORIBUS

Gulielmus Budaeus (1467-1540)

1. Clarescunt Litterae Bonae 49
2. Criminatio Litterarum Graecarum 50
3. Lauta et elegans Minerva 52
4. Sorbona et Navarra. 53
5. Studia feliciora 54
6. Flexibilitas dictionis Latinae 55
7. Transitus ad Sanctiora 57
8. Sacra Philosophia 59
9. Litterarum decus in Francia 60
10. Hallucinatio publica dispellenda 62
11. Artes illiberaliores 64
12. Budaeus in aulam accersitus 66
13. Musaeum exstruendum 68
14. Camoenarum in Francia aedes 70
15. Honores Civiles 72
16. Minerva patricia et plebeia 74
17. Opportuna litterarum restitutio 77
18. Praemia virtuti proponenda 78
19. Cum antiquis certandum 80
20. Subsidia vitae expectantur 82

Ioannes Ludovicus Vives (1492-1540)

21. Quot sunt liberales artes? 85
22. Cur excultae fuerunt artes? 87

23. Linguae Latina et Graeca tenebris obrutae . . 88
24. Renascuntur linguae 90
25. Aristoteles scriptor praestantissimus . . . 91
26. Antiquarii homines 93
27. Disputationes exocularunt iudicium . . . 95
28. Quaenam profitetur Grammaticus ? . . . 97
29. Varia Grammaticae fortuna 99
30. Depravatio Grammaticae 101
31. Venit in scenam poesis 102
32. Historia indigne tractabatur 103
33. Recentiores dialectici 105
34. Revocatur studium linguarum . . 106
35. Servum pecus Imitatores 108
36. Decerptio Ciceronis. 109
37. Qui Ciceroniani videri affectant . . . 110
38. Leges imperite tractatae 111
39. Linguae Vernacula et Latina. . . . 113
40. Vere imitabitur aemulator . . . 114

Jacobus Sadoletus (1477-1547)

41. Venusta inter viros litteratos festivitas . . . 116
42. Acerba Urbis Romae fortuna. 119
43. Cives Carpentoractenses magistrum quaerunt . . 121
44. Urbini principes ingenii ac litterarum . . . 123
45. Quam vitam vulgus liberalem appellat ? . . 125
46. Ad utramque orationem puer erit imbuendus . . 127
47. Quatenus tradenda est ars grammatica ? . . 128
48. Exercitationes et praecepta rhetoricae . . . 130
49. Poetice est pars praecipua musicae . . . 132
50. Omnis cognitio et scientia est liberalis . . . 135

M. Antonius Muretus (1526-1585)

51. Iurisprudentia bonis litteris ornanda . . . 138
52. Oppugnantur litterae bonae 139
53. Prisca et nativa Latinitas colenda . . . 141
54. Maior Latinae quam Graecae linguae utilitas . . 142
55. An sua cuique lingua philosophandum ? . . 144

Petrus Victorius (1499-1585)

56. Ingenuae artes apud Florentinos excultae . . 146
57. Urbis Florentiae exornata dignitas . . . 147
58. Artes exquisitores Florentiam evocatae . . 148
59. Italorum sermo vetus sermoque novus . . . 149
60. Sermo novus quomodo erit expoliendus ? . . 151

Ubertus Folieta (1518-1581)

61. Italorum linguae alia regia, alia popularis . . 153
62. Rerum commercia et Sermonis commercia . . 154
63. Antiquorum laudibus respondet Christiana gloria . 156

Q. Marius Corradus (1508-1575)

64. Nova illa Italici sermonis barbaries . . . 157
65. Scientias omnes renovat nostra haec aetas . . 159
66. Carmen variare non potest barbaries . . . 160

Christophorus Longolius (1488-1522)

67. Longolius adolescens per scriptores omnes vagatur . 163
68. Cicero solus legendus et imitandus . . . 165
69. Cicero unicus dicendi et scribendi magister . . 165

Ioannes Casa (1503-1556)

70. Bembus ad veterum scriptorum lumen respexit primus . 167

M. Antonius Maioragius (1514-1555)

71. Restituta Mediolani dicendi ratio . . . 170
72. Quae nobilissimae artes incultae iacent . . 172
73. Professoris publici libelli supplices . . . 174
74. Iam Ciceronem ipsum audiamus . . . 176

Dionysius Lambinus (1520-1572)

75. Etiam cum Italia certare audet Gallia . . . 178

Iustus Lipsius (1547-1606)

76. Cum Mureto in Quirinali colloquitur Lipsius . . 181
77. E libris instaurandus sermo Romanus? . . 183
78. In controversiam vocatur stylus Lipsi . . . 184
79. De formatione stili per triplicem imitationem . . 186
80. In Lipsi scholam veniunt Principes Belgarum . . 187

APPENDIX I

Blondus Flavius (1388-1463)

81. Meliora habet aetas nostra 189
82. Mutatio locutionis Romanae in vulgarem Italicam . 190
83. Eloquentiae studia in Italiam reducta . . . 190
84. Comparata per Italiam codicum copia . . . 192

Ambrosius Traversarius (1378-1439)

85. Apud Victorinum Feltrensem. . . . 194

Laurentius Valla (1407-1457)

86. Comparatio imperii sermonisque Romani . . 198
87. Ubi lingua, ibi imperium 200
88. Quousque Latinitatem esse oppressam patiemini? . 201
89. Latinitas apud iurisconsultos Romanos elegans . . 202

Angelus Politianus (1454-1494)

90. Mors Laurentii Medicis 205
91. Exsplendescebat Laurentii magnificentia . . 206
92. Non Ciceronem, sed me ipsum exprimo . . 207

Ioannes Franciscus Picus (1463-1494)

93. Inter oratoris munus ac philosophi pugna . . 209
94. Aliud furari imitari aliud 210

Alexander de Villa Dei (fl. 1200)

95. Abeat iam barbarus Alexander . . . 212

APPENDIX II

Ioannes Saresberiensis (1110-1180)

96. (A) Studia sub Abelardo et apud Carnotenses . . 217
(B) Bernardi Carnotensis mos docendi . . . 220

APPENDIX III

Michael Psellus (1018-1078)

97. De studiis suis liberalibus tractat Psellus . . 225
98. (A) Constantini Imperatoris indoles litteraria . . 227
(B) Quibus artibus humanioribus se dedit Michael . 228

Anna Comnena (1083-1148)

99. Eruditio liberalis Annae et patris eius Alexii . . 229
100. Ioannes Italus variis disciplinis eruditus . . 230
INDEX LOCORUM 233
INDEX NOMINUM 235

EXERCITIA QUAEDAM STUDIOSAE IUVENTUTI PROPOSITA.

I

Quatenus Christianae vitae laudem prosecuti sunt Latinitatis et antiquitatis cultores ?

(A) Iacobus Ledesma : De linguarum studio, Romae, c. a. 1570.

Scholae litterariae hominum generi, in republica Christiana et Christi ecclesia maxime sunt necessaria, tum ad multas huius vitae commoditates, tum ad rectam rerum publicarum gubernationem ac leges, tum ad naturae ipsius rationalis ornatum, splendorem, ac perfectionem, tum demum — quod maius est — ad Dei fidem ac religionem docendam, defendendam, propagandam, et ut homines ad suum tandem finem ultimum commodius ac facilius perducantur.

(B) Ioannes Carolus Florentinus: Chronicon. an. 1394.

Neque enim flos adhuc eloquentiae per ea tempora fuerat reparatus, sed veterano quodam lepore utiliore certe incedebant via, bonis auctoribus adolescentium animos edocentes, ne Poetarum fabellis et ventosis Oratorum allicerentur lenociniis... Testes huiusce rei sunt et sententiae Prosperi et chartula Bernardi et nonnulli alii auctores minuti, quos illi pueris proponebant, in quibus de moribus, de vitiis, deque divinis praeceptis atque virtutibus agitur, qui nostro aevo in nugarum numerum penitus rediguntur.

(C) Franciscus Castilionensis : De Victorino Feltrensi.

Fuit ergo Victorino ingenium sollers atque acutissimum et ad omnem scientiam omnemque rem peragendam accom-

modatum, magna ad res proloquendas facundia, maior ad persequendas animus atque industria : immensa erga Deum pietas atque religio, erga homines beneficentia summa ac liberalitas... In prima aetate Patavii rhetoricam publice docuit. Deinde lasciviam fastiditus atque eorum flagitia qui in Studiis nostro tempore versantur Venetias se contulit... Quae scribam, ea non aliorum relatu sed quae ipse vidi, certissima ac verissima, refero. Ipse enim Victorinus viginti ac duobus annis Mantuae erudiendis principis filiis aliisque adolescentibus operam dedit, quo tempore apud illum octo annis usque ad eius obitum permansi... Ut omittam quot adolescentes, quos ad discendas litteras idoneos noverat, domi suis sumptibus retinebat, quibus libris domo victu vestituque optime consulebat, nullos praeterea pauperes a se indonatos dimittebat... Quum esset in omni Scientia omnique doctrina eruditissimus multaque facundia praeditus nunquam tamen ad aliquid scribendum accessit, ne aliqua inanis gloriae fama accendi posset... Quum suo tempore multi essent in Italia docti viri qui in oratoria facultate illustres essent, nullusque paene esset ex illis qui alter alteri non esset infensus in quem maledicta invectivasque dictaret audiretve, solus Victorinus omnibus amicus comis omnibus fuit, detestabaturque plurimum quae ab aliis invectivae scribebantur... Scripsimus de Victorino pauca de multis.

(D) Iacobus Sadoletus : S. R. E. Cardinalis : Federico Fregosio Archiep. Salerni. vi. Kal. Iun. 1536.

Recordor enim prudentissimum consilium tuum... quod tantum sit hominum fastidium in hoc tempore, ut difficillime reperiatur quod placere possit... Iamque habeo mihi duo argumenta proposita, in quibus etiam religionis semina et invitamenta quaedam ita aspergam, ut appareat nos Christianos esse, ceterisque consultum in optima ratione agendae vitae cupere. Effugiemus enim hoc modo calumnias obtrectantium.

(E) Petrus Victorius : ad Carolum Borromaeum S. R. E. Cardinalem. an. 1565.

Ipse non parum hoc lepido nobilique poeta delector, putoque ipsum valde utilem esse et ad Latinam linguam pariter perdiscendam et ad vitam hominum suaviter excolendam : nam quin accurata lectione Terentii mores emendentur et politiores integrioresque reddantur, dubitandum non est. Est igitur Terentius amandus, in sinuque frequenter habendus.

II

Duplex humaniorum studiorum ratio et finis.

(A) Petrus Ioannes Perpinianus (1530-1566) : Orationes xviii (Ed. Rotomagi 1606.)

Duo genera semper in Christiana re publica fuerunt eorum qui versari in litterarum studiis atque in iis se excellentius gerere studuerunt, quibus ex generibus alteri quadam doctrinarum pulchritudine honestatisque simulatione capti, in eo uno vehementer omni nervorum contentione elaborarunt, ut facile disputandi subtilitate, dicendi vi atque copia, arcanarum naturae rerum scientia ceteris omnibus antecellerent ; alteri studio publicae salutis accensi uniusque virtutis splendorem admirantes, eius maxime quae in communi hominum utilitate tuenda augendaque versatur, quae et pulcherrima est et ad naturam hominum vehementer accommodata, in eo curam omnem et cogitationem animi collocarunt, ut et virtutem praestantissimarum artium scientia quasi quibusdam armis instruerent et hanc omnibus virtutis ornamentis honestarent.

Et illorum quidem animos tantus saepe stupor occupavit ut Christianae virtutis immemores praeclare satis secum agi crederent, si quid ex cognitione rerum gloriae inanis ac falsae, vel sceleratae potentiae nanciscerentur ; horum

vero mens tantum in re perdifficili potuit tenere modum, ut nec doctrinam illam, (quam honestatis expertem, ne doctrinae quidem dignam nomine iudicarent) amplecterentur, nec honestatem ipsam, artis destitutam bonis, quam velut inermem cernerent omnium telis expositam, sibi satis esse existimarent...

Perspicitis, opinor, quanti referat coniungatur necne cum virtute Philosophia, an turpi funestoque dissidio disiungatur. Quodsi copulandae hac et quasi consociandae sunt, nemo profecto dubitabit quin quam primum possit fieri sit optimum... Qui darent nobis operam, cum litteris pariter homine Christiano dignas virtutes imbiberent. Eo spectat omnis conatus noster, hoc est nobis in hac docendi ratione propositum, ut eadem sit Oratorum, Poetarum, Dialecticorum, Physicorum, Mathematicorum, magistrorum vitae et proborum hominum officina. Ardua res, non nego ; provincia dura, fateor. (1555 : Orat I. Conimbricae in Lusitania habita).

III

Quomodo post renatas litteras mutatus fuit stylus ?

(A) Iacobus Faber Stapulensis : Praefatio in Logicam : Parisiis, 1496.

A Gotica enim illa dudum Latinorum litteris illata plaga : bonae litterae omnes nescio quod Goticum passae sunt. Suppositiones, ampliationes, restrictiones, appellationes, exponibilia, insolubilia, obligationes, et proinde haec omnia, a philosophia reiecta putentur.

(B) D. Erasmus : Epistolae. Ed. Lugd. Bat. 1703. III. ii. 506.

Non semi-Latine ac semi-Gallice (quod fere nostri ludimagistri cum suo Alexandro docent) sed plane Romane loqui cupiat.

(C) Petrus Victorius : Oratio Florentiae habita.

Nostri homines, saepe etiam transalpinae nationes, sic Latine scribebant ut suae quisque civitatis tamen loquendi formam consuetudinemque retinerent ; ac Latinis verbis, quanquam ne id quidem usquequaque, Gallice nihilominus aut Italice nescio quo pacto loquerentur.

(D) B. Ioannes Dominicus Ep. Ragusinus, S. R. E. Cardinalis : Lucula Noctis (contra Coluccium Salutatum Reipub. Florentinae Cancellarium) c. a. 1404. Ed. Coulon, pp. 369-70.

Scio quendam magnum virum mihi venerandum et carum, ubi primo audivit me hoc opus agressum, extemplo in haec verba prolapsum : « Non sunt religiosi moderni rethores : nescio si iste exorbitabit ab illis » ; quasi nil valeat sine lepore veritas. Ceteri suas partes defendant : ego quidem fateor in conscientia vera, teste Spiritu Sancto, non solum me non esse rethorem, sed nunquam grammaticum sub praeceptore vidisse : nullas grammaticorum regulas legi, Donatum non didici, nominum verborumque differentias penitus ignoro, et solo exercitio formas, ut possum, quas studui per memetipsum, ethnicos et catholicos antiquos et modernos metris et prosa currentes loquor imitatus doctorum. Et tamen veritatem veneror, rem praeferens dictis.

(E) S. Petrus Canisius : Adriano Adriani, Messana, 1548. (Epist. i. 67. p. 282).

Gaudeo de mutato stilo tuo, mi frater Adriane, quem ego inter Ciceronianos (quod inter nos dictum sit) videre cupio excellentem.

IV

Num deest aliquid antiquis de veritate Christiana Scriptoribus?

(A) Q. Marii Corradi Uritani : De Lingua Latina. lib. v. Venetiis, 1569.

Mihi quidem videor omnes legisse veteres qui rem sacram sunt interpretati : nihil in iis potui cognoscere, non cultum doctrina, perfectum ingenio, perpolitum eloquentia, compositum oratione sententiis et gravitate verborum. Numera enim a Graecis, Dionysio Areopagita, Gregorio, Basilio, Chrysostomo, Damasceno, Origine, Athanasio : convertere ad nostros Hilarium, Cyprianum, Leonem, illum qui Pontifex Maximus fuit, Hieronymum, et huius collegas, homines disertissimos qui religionem scriptis pulcherrimis quondam stabilivere, quid his deest quod expectari a magnis oratoribus debeat? Quod si quid illorum aetati defuit, vides ab iis tam studiosissime omnem docendi vim et elegantiam undique esse perquisitam, ut si per tempora iis licitum fuisset, quemadmodum sui quisque seculi doctos vicit, sic non dubium quin Romanos ipsos et C. Caesaris aetatem illam vicisset.

(B) Petrus Bunellus : Odeto Ambrosio Servae, Venetiis xiv Kal. Feb. 1534. (Ed. Paris. 1581).

Nam ut demus Basilium Chrysostomum Augustinum reliquosque illos praestantes viros ab omnibus disciplinis instructos fuisse, eas tamen artes quae liberales nobis appellantur tanquam ancillas theologiae veluti reginae gravissimae servire voluerunt.

V

Quaenam optima studiorum initia?

(A) Claudius Baduellus : ad Sadoletum S. R. E. Card. Epistola. 1544. ad finem.

Finis autem huius institutionis, de qua loquimur, est doctrinae elegantia, sive eruditio liberalis, quae duabus in rebus potissimum consistit, oratione et rerum cognitione : quae duae res in doctrina eleganti ita sunt coniunctae ut altera ab altera segregata esse nullo modo possit. Nam neque verba, subtractis rebus, sedem habere possunt, neque res, semotis verbis, lumen. Sed oratio prius instituenda est quam rerum cognitio explicanda, propterea quod ea sit instrumentum cuius vis ad res omnes percipiendas vel tractandas est necessaria. Deinde ea est natura puerorum ut ad linguam prius oratione excolendam quam ad mentem cognitione rerum erudiendam aptiores videantur. Quare ab ea est inchoanda erudita elegansque institutio, et oratio primum informanda.

(B) Fr. Filelfus : De Liberorum educatione ii. 13.

Cum enim maiores nostri grecis simul ac latinis litteris eos imbui praeceperint, ut utriusque lingue rationem perciperent, idem sentiendum videtur de legendis sacris mixtim ac gentilibus libris... Illud vero quod magistri observant, admodum probamus : ut crudioribus pueris, post alpha et beta, primo psalterium ediscendum asserant ; nam cum illud iam totus orbis decantet, nemoque non illud propter obsecrationes deo faciendas doctus pariter et indoctus memoriter tenere studeat, vix aliter agendum esse patet... Posthac cum maturaverit tempus ut ad grammaticos authores transferantur, legende eis dabuntur parabole (que sic inscribuntur) Salomonis... Dehinc cum firmior creverit aetas et doctrina, legent secundum librum Macchabaeorum, quod ad Romanam eloquentiam totus, magis quam cetera hebraeorum volumina accedere videatur, quod brevis etiam et succincta sit historiae eius narratio que et a studiosis facile memoriae commendatur.

(C) Perpinianus : Oratio VIII ad Romanam iuventutem de avita dicendi laude recuperanda, (Ed. Azeverus, i. 220, 221) habita an. 1564.

Et quoniam incorrupta latini purique sermonis, omnibus

vitiis detractis, integritas quasi solum est Oratoris, illa prima debet esse cura ut latine quam elegantissime et apertissime loquamini : deinde, quoniam inanis est et deridendus omnis orationis ornatus nisi subsit res digna hominum auribus ab Oratore percepta et cognita, danda est opera ut omnes et divinas et humanas disciplinas adiungatis ; verum ita, ne totam in eis perdiscendis conteratis aetatem, sed cognoscatis modo fontes ipsos, unde tantum postea quantum necesse erit hauriatis.

VI

An bonarum artium disciplinis utilitatem aliquam attulerunt Ciceroniani ?

(A) Paulus Cortesius : Angelo Politiano suo.

Cum viderem eloquentiae studia deserta iacuisse et sublatum usum forensem et quasi nativam quandam vocem deesse hominibus nostris, saepe palam affirmavi nihil his temporibus ornate varieque dici posse nisi ab iis qui aliquem sibi praeponerent ad imitandum. Quare (ut de me loquar) nihil est, mi Politiane, quod me a Ciceronis imitatione deterreas, sed quod potius obiurges inscitiam, quod nequeam illum bene imitari, quanquam ego malo esse assecla et simia Ciceronis quam alumnus aut filius aliorum... Certis auctoribus insistendum est, quibus ingenia formentur et tanquam alantur ; relinquunt enim in animis semina. Qui autem neminem imitantur, nihil, mihi crede, roboris aut virium in scribendo prae se ferunt.

(B) C. Longolius : Andreae Navagerio (Epist., p. 35).

Dirigendam quidem esse nobis et formandam scribendi rationem putavi ad illius dicendi genus ; sed ita, ut virtutes eius oratione nostra exprimere conemur, non item ut passim omnia ab eo mutuemur, aut, quod multos facere iam

videas, quasi centones quosdam ex Ciceronis verbis consuamus.

(C) PERPINIANUS : Tractatus de ratione liberorum instituendorum litteris Graecis et Latinis. (Ed. Azeverus. iii. 96-97).

Scriptores novi et recentes omnino reiciantur. Cicero mea quidem sententia omnibus aetatibus et temporibus utilis est. Nam et Epistolae seligi possunt puerorum ingeniis accommodatae, et iis qui iam aliquid profecerunt, epistolae graviores... Non prius initium discendi Graecarum litterarum existimo faciendum esse quam et tota grammatica Latina sit animo comprehensa, et latine scribendi ratio usu atque exercitatione formata.

(D) IUSTUS LIPSIUS : Institutio Epistolica. c. xi.

Rarus Latinus sermo, et pauci ea cura loquuntur qua scribunt. Itaque doctissimi et disertissimi saepe in sermone alii, nec temere exemplum vidimus aut videbimus eloquentiae quam formavit Auditio sola. Lectio igitur magis tuta, magis utilis. Sic tamen ut imitatio ei adiuncta sit, sine qua languida haec, immo vana. Imitationem dico *Sermonis* nostri ad sermonem veterem aptam conformationem et stilo expressam. A qua (uno verbo dicam) spes omnis crescendi... Pauci relicti veteres ; quis controvertet quin ii legendi omnes sint, nisi forte nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam concluserunt finibus tantum Tullianae lectionis. O vani et fastidiosi ! non solum praeter mentem magistrorum veterum, sed praeter rationem praeterque usum. Quos nunc non refello ; et adhaesisse olim me scio paullo iuvenilius, donec repressit maturioris iudicii frenum.

VII

An Platoni potius quam Aristoteli favebant litterarum antiquarum restauratores?

(A) Ioannes Picus Mirandula : Marsilio Ficino. Venetiis, 1498.

Iam tres annos, Marsili, apud peripateticos versatus sum, nec omisi quicquid quantum in me fuit, ut Aristotelicis aedibus quasi unus ex eorum familia non indignus admitterer. Quod quidem etsi haud abunde consecutus sum, quippe qui vix sim in vestibulo, eo usque tamen processi ut si non docti et eruditi, quod nec per aetatem licet, studiosi tamen nomen mihi vindicare non dubitem. Aggrediendam mihi hanc provinciam existimavi ut iam pro meis viribus ingenii, pro mea quanta maxima potest assiduitate et diligentia Platonem cum Aristotele, et vicissim alternis studiis Aristotelem cum Platone conferrem.

(B) Marsilius Ficinus Florentinus : Prooemium in libros Platonis, ad Laurentium Medicen.

Itaque Deus omnipotens statutis temporibus divinum Platonis animum ab alto demisit, vita ingenio eloquioque mirabili religionem sacram apud omnes gentes illustraturum. Cum vero ad haec usque secula sol platonicus nondum palam latinis gentibus oriretur, Cosmus, Italiae decus et insignis pietate vir platonicam lucem religioni admodum salutarem a Graecis ad Latinos propagare contendens me potissimum intra suos lares plurimum educatum tanto operi destinavit. Ego autem etsi a tenera aetate nominis platonici cultor rem adeo gravem non meis quidem sed avi tui Cosmi prosperis auspiciis sum aggressus, sperans divinam opem tam necessario tam pio officio non defuturam. Hac ergo imprimis spe academiam sum ingressus... Opus itaque totum divino auxilio iam absolutum tibi libentissime dico...

Valeant igitur, Magnanime Laurenti, valeant procul

omnes qui minutissimas erudiendae pueritiae a Platone rationes efflagitant. Erudiant alii rudiores, et eruditi denique fores platonicas adeant inde non tam puerilia rudimenta quam divina mysteria tandem reportaturi. Expiati dumtaxat poma decerpant.

(C) Hermolaus Barbarus : Prologus in Aristotelem. Ed. 1509. ff. 67, 68.

Animus est et professio primum Aristotelis ipsius tum verba tum sensum interpretari. Deinde quid expositores eius utraque lingua duxerint referre, sed breviter et cum delectu. Ita nec onerati nec inanes abibitis, id quod e converso faciunt aetatis nostrae philosophi, expositores enim ipsos magna cura praelegunt, Aristoteles ipse negligitur.

Hanc unam mercedem postulo, ut Aristotelem non dico diligenter auscultatis, sed sic diligatis atque ametis. Atque amari quidem et ipse velim, sed si amare simul duos non potestis, Aristotelem solum prae me diligite atque amate : amabitur autem tunc demum, cum coepit intelligi. Illud vero persuasissimum habetote, nullam vobis maiorem voluntatem futuram quam cum ita familiarem habebitis Aristotelem ut libros eius legere continenter et inoffense valeatis, expositoribus non consultis.

(D) Iac. Faber Stapulensis : Prologus in Aristotelem. 1528.

Sed noster admodum infirmus intuitus... Quae omnia summus Aristoteles persentiens, et divino beneficio intus nostram sortem miseratus, nostrae litterariae ducem sese praebuit, construxitque sub certo praecepto certaque regula quae ad eruditam et beatam vitam necessaria putavit omnia, non involute, non in opinionum caligine, sed integre, lucide, certe... Nobis scientiarum et virtutum viam patefecit... Ceterum etsi omnia eius opera mira brevitate et utilitate sint referta, videri tamen potest eius naturalis aeditio plurimum admiranda, cuius Paraphrasin ordinare suscepimus.

(E) B. Lampridius Cremonensis : Andreae Cornelio.

Ergo nocturnus libros versasque diurnus
Libros, unde animum informes meliorque recedas.
Imprimis docuit virtus quae dia Platonis
Quaeque etiam nobis post illum scripta reliquit
Summus Aristoteles, manibus deponere nescis.

(F) Petrus Victorius : Epist. lib. x., Ed. Florentiae, 1586.

Acumen ingenii Aristotelei admirabileque studium positum in rebus naturae videndis causisque earum investigandis quis ignorat? Persecutus est etiam animantium omnium naturas : qua via ad bene beateque vivendum sine errore ullo duceret, demonstravit : qui status civitatis optimus esset, docuit : divinas etiam res ipsum attigisse compertum est : rationis disserendi, subtilis admodum artis, non magister tantum doctorque fuit, verum etiam auctor atque inventor. Quod autem quantaque litteris mandavit, et quam multiplici doctrina monumenta sui ingenii referserit, notum omnibus atque exploratum est

---

VIII

Mansuetiores artes persequitur usque Gens Medicaea.

(A) M. Hier. Vida : Orationes pro Cremonensibus, iii.

Actum plane fuisset de Re Litteraria, nisi Medicei Laurentii liberalitas ac virtus subvenisset, qui capta et eversa a Turcis Graecia quicquid optimorum librorum in utraque lingua inveniri potuit, grandi pecunia a victoribus mercatus in Italiam comportari procuravit, conquisitis etiam undique et permagno sumptu in Italiam adductis multis nobilissimis Graecorum optimae indolis adolescentulis, cum eorum magistris, ut germana eius linguae consuetudo ratioque Graecarum vocum enuntiandarum in eis conservata ad

nostros homines emanaret. Auxit mox paternum beneficium tanto parente dignus filius, Leo Decimus Pontifex Maximus, qui optimis artibus favens nihil prius habuit quam maximis praemiis optima ingenia elicere et ad summam perfectionem perducere.

(B) N. Valorius : Vita Laurenti Medicis Petri filii.

Fuit certe Laurentius adeo vetustatis amator ut nulla re magis caperetur... Quare quicunque tanto viro rem gratam facere studebat, numismata tam materia quam arte pretiosa, toreumata et quicquid antiquitatem redoleret, ex qualibet Orbis parte ad eum certatim deferebant. Ego ex urbe Neapoli in patriam reversus Divae Faustinae et Africani effigiem ex marmore ad eum misi, quae quo vultu quam grato animo acceperit, non facile dixerim.

(C) Bernardus Oricellanus : De Bello Gallico Commentar. ii.

Quum iampridem gens Medicaea floreret omnibus copiis, terra marique cuncta exquirere dum sibi graecarum latinarumque monumenta toreumata gemmas margaritas atque huiuscemodi opere naturae simul et antiquo artificio conspicua compararent. Quo factum est longo aevo quo haec familia stetit, ut si quid praeter cetera insigne ex antiquitate saevitiaque temporum superfuisset, veterum scriptorum codices, vasa ex sardonyce ceterisque gemmis caelata Deliaca et Corinthia, lapilli multiplici sculptura coloreque peregregii, aurum argentumque signatum perantiquo opere, undique in Domum Medicaeam confluerent.

(D) Guillermus Fichetus : Carolo Cenomaniae Comiti. (1465) :

Cosmo etiam Medix, qui nostra memoria Florentiae imprimis effloruit, non imparem quidem illis Graecis Latinisque bibliothecarum structoribus gloriam comparavit, qui linguarum seculorumque superiorum omnium auctores stu-

diosissime perquisivit, ex quibus perpetuam cum ubique tum in sua civitate memoriam sibi propagavit. Nunc, ut Alpes transeat oratio, universam nostram Galliam ingredior, in qua phoenice rariorem bibliothecarium fuisse comperis.

(E) Nicolaus Leonicenus : Angelo Politiano. 1490.

Inviderem felicitati vestrae, quibus in praeclarissima Italiae civitate sub Laurentio Medice ac Petro filio, eximiis aetatis nostrae virtutis atque ingeniorum patronis, per summum otium ingenue philosophari contigit.

IX

Quasnam ad normas tradenda est Grammatica ?

(A) Iustus Lipsius : Adolpho Metkercho Praeside Flandriae. III. Id. Nov. 1582.

Plantinus etiam ad Grammaticam concinnandam impellebat, quae communis Belgio universo esset. Sperabat id enim Ordines decreturos. Fateor utilissimi instituti rem fore, nec magis peccari in iuventute instituenda quam hac Grammaticarum varietate. Inter magistellos factionum res est, et quisque hanc aut illam praefert, quia posthabuit eam alter... Mihi puero triplex alim Grammatica praelecta, in triplici migratione. Ad annum decimum tertium nugae illae me tenuerunt, et adfirmo tibi ab anno octavo eadem me tenuisse, etsi non eodem modo. Quinque illi anni si in stilo et graviorum rerum scientia positi fuissent, quis mihi fructus ? Et haec peccantur quotidie.

(B) Gulielmus Bateus Dublinensis (1566-1614) : Prooemium Tractatuli cui titulus Ianua Linguarum. Salmanticae. 1611. cc 2, 3, 6 : Triplex ad linguas addiscenda via : regularis, irregularis, media.

Ad linguas addiscendas, duplex hactenus reperta tantummodo via : regularis, qualis est ad congruitates observan-

das Grammatica, et irregularis, qualis est communis discentium usus, per lectionem et loquelam in linguis vulgaribus : quae quidem viae ad se mutuo sic se habent, ut regularis plus certitudinis, irregularis plus facilitatis habeat : prior, ubi lingua communiter non usurpatur, praeferenda : posterior, ubi lingua est vulgaris. Sin autem via tertia media excogitari queat, quae certitudine regularem, facilitate irregularem adaequet, multis profecto numeris utramque superaret...

Quemadmodum congruitates Grammatica, ita verba vocabularium regulariter docet, unde hic oritur quaestio, qui fit ut in congruitatibus addiscendis alii regularem, alii irregularem viam sequantur, at vero in verbis addiscendis nemo regularem, perdiscendo vocabularium prae se ferat ?

Possunt omnia vocabula via media in sententiis addisci, quae sint aeque faciles ac locutiones communes viae irregularis, et aeque certae ac via regularis vocabularii, dum secum adducunt omnia quae in eodem continentur ; ita de iis quae ad congruitatem spectant dicendum. Omnia enim quae in Grammatica regulis praescribuntur, possunt etiam sententiis commode doceri, ita ut facilius, citius, et certius animis inhaereânt, quam nudis regulis Grammaticalibus per se fieri queat. Et hoc ad finem et proprium institutum addiscendi linguam sufficiet, idque maxima in linguis vulgaribus. Non est necesse scientifice percipere quae ad methodum Grammaticalem pertinent.

At vero in linguis scholasticis, Latina scilicet, Graeca, et Hebraica, quae methodice in scholis docentur, ad artem Grammaticam comparandam, haec via media non sufficiet ; duplex est enim finis Grammaticae, scilicet congruenter loqui, et hic primarius est, et arti, et usui communis ; et praecepta scientifice tradere, quibus fiat ut congruitas non utcunque, sed methodice, et via artis adquiratur : et hic finis est secundarius, et arti proprius, et in linguis Scholasticis ad intelligendos terminos artis, qui passim in autoribus occurrunt, necessarius. Ex quibus patet quam longe lateque se extendat utilitas huius via mediae, et in quibus non sufficiat.

(C) Iacobus Ledesma : Praefatio ad Grammaticam Latinam. p. 3. (1569) :

Nec desunt qui vel nulla esse praecepta potius velint, sed usu solum latini sermonis, lectione tantum et scriptione addiscendum existiment, quemadmodum vulgares nunc linguas discimus, et olim Latini latinam et Graeci graecam : quamvis Quintiliani tempore iam aliqua fuerunt praecepta. Alii contra paullo plura praecepta potius studiosis proponenda censent, nec usui omnia tuto committi posse, sed certam haberi oportere regulam, quam sequantur.At in utroque non parum est periculi, ne videlicet ob multitudinem praeceptorum puerorum ingenia obruantur, vel, contra, sine praeceptis, quae satis sint, labi facile in barbarismos et soloecismos contingant, nec se emendare possint, aut sciant lapsi.

(D) Claudius Baduellus : ad Sadoletum Epistola. 1544.

Quoniam tu, Sadolete, me ad scholam Carpentoractensem bonis litteris instituendam vocare voluisti, existimavi ad meum officium pertinere, si ad te aliquid de officio munereque eorum qui scholis praesunt, hoc tempore scriberem... In tradendis praeceptis ac regulis grammaticorum illud incommodum est evitandum diligenter, ne praecepta ipsa sint prolixa et obscura, nec varia et infinita, sed certus sit eorum modus ac ordo, ut pauca et perpetua, ut aperta et facilia, ut certa definitaque pueris tradantur.

X

Quanti apud eloquentiae cultores Quintiliani auctoritas?

(A) M. Antonius Muretus : Variae Lectiones, lib. xviii (c. 1590) :

Me puero magna cum cura exponebantur in scholis *Institutiones* M. Fabii Quintiliani, accurati admodum et

exquisiti Rhetoris, neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur qui non in illis vel praecipue auditores suos exercere solitus esset. Mutata postea ratio est, ... iuventusque laboris fugitans insulsos quosdam libellos adamare coepisset... Neque ullum lapsis prope rebus remedium est, quam ut vetus illa consuetudo revocetur, et expulsis istis novitiis indoctae arrogantiae magistris, a priscis illis vera et solida eruditio repetatur.

(B) Guillermus Fichetus : Praefatio in libros rhetoricos. Parisiis, 1471.

Eorum autem qui Ciceronis aetatem sequuntur, pars cum suae orationis gravitate, tum voluminum ac reliquarum artium in opus unum acervatione iuvenes animos premit ac frangit, in quibus Fabium Quintilianum connumerant.

XI

Nonne sublatius de se deque aetate sua praedicare solebant litterarum antiquarum cultores?

(A) Lapus Castelliunculus : (Traversarii Epist. xxv. 21) c. a. 1440.

Singulis hominibus qui his nostris studiis dediti sunt ... et nomini latino ... summas et agere et habere gratias debere, qui hoc tantum bonum ... in haec nostra tempora potissimum contulerunt, quibus videbam eas artes, quibus humanarum et ingenuarum artium studia continentur, quae iamdiu obdormierant, quasi ex diuturno somno excitata eruditissimorum hominum ingeniis se in lucem extulisse ... Extiterunt in hac nostra aetate tot iam viri tanta scientia, tanta dicendi vi, tanta copia, ut nisi vis aliqua fatalis impediat, perbrevi mihi ad veterem illam eloquentiae laudem quam proxime accessuri videantur.

(B) D. Erasmus : Bonifacio Amerbachio (31. Aug. 1518).

Etiam atque etiam gratulandum est nostro seculo, gratulandum superis, quorum benignitate praeclara studia, tot iam seculis paene sepulta, toto orbe terrarum reflorescunt ac felicissime propagantur. Ante annos plus minus octoginta non modo hi erant infantes atque elingues, qui eas profitebantur artes quas suo quoque seculo, quo vel maxime floruit erudita facundia, mutas appellat Virgilius, verum etiam ipsa Grammatica, recte loquendi magistra, et Rhetorica, copiose splendideque dicendi dux, foede sordideque balbutiebant ; et quae quondam tot linguis instructae fuerant, tum unam Latinam pessime latine sonabant. Posthaec paulatim subolescentibus litteris melioribus, Italia sola linguam habebat, nec apud hanc ullae disciplinae praeter oratoriam. Nunc nulla est natio sub Christiana ditione, in qua non omne disciplinarum genus eloquentiae maiestatem eruditionis utilitati adiungit.

(C) Claudius Baduellus : ad Iac. Sadoletum Cardinalem Epistola (Lugdini, 1544. pp. 8-9.).

Doctrinae quidem elegantia omnisque homine libero digna eruditio a veteribus tum Graecis tum Latinis sic fuit exculta et posteris tradita ut nihil in omni humanitatis genere desiderari potuerit. Sed ea postea mutatio temporum et maxime quidem nostrorum consecuta est, ut profligata elegantia et humanitate inscitia atque barbaries in civitates sit importata... Quod nisi Deus novissimis his miserrimisque temporibus sua nos benignitate ac misericordia respexisset, Spirituque suo illo sancto ac divino tum religionem tum litteras renovasset, iam pridem omnis et pietas et humanitas nobis erepta plane fuisset.

(D) Franciscus Bencius : Oratio xii. Romae habita.

Haec recta est, haec militaris via, quam qui acriter et studiose institerunt, illi vero ad amplissimos in litteris pervenerunt et dignitatis gradus. Mitto eos quos patrum

nostrorum avorumque aetas non excurrisse gloriatur sed evolasse, ut de Italis loquar, Politianos, Crinitos, Picos, Pontanos, Beroaldos, eiusdemque notae homines, Barbaros, Filelfos, Bembos, Iovios, Sadoletos, usque fere suppares, Luisinos, Madios, Robortellios, Gyraldos, Faernos, Maioragios, et qui iisdem temporibus studiisque floruerunt, Fracastoros, Naugerios, Vidas, Castiliones, Zanchios ; denique, ne omnes numerando consecter, Casas, Flaminios, Sannazarios : qui omnes ita fuerunt abundanti ingenio exquisitaque doctrina, ut etiam si singuli aetates in singulas incidissent, suam pro se quisque aetatem exornare maxime et illustrare potuisset...

Ad eos veniamus qui recentiore memoria fuerunt. Hanc pressit et quasi antesignanus Pantagathus viam. In hac eadem Perpiniani nostri sunt impressa vestigia, qui totum se ad Ciceronis similitudinem effinxit. Hac ierunt omni liberali doctrina Sebastianus et Marius Corradi, et qui Romanam unus consensu omnium in conscribendis epistolis reddidisse videtur elegantiam Paulus Manutius. In hac Sigonius via, hac etiam M. Antonius Muretus, meus dicam an vester ? Meus enim magister, vester civis.

(E) M. Antonius Muretus : Epistola Leonardo Mocenico data, Venetiis 1556.

Non est sane exspectandum ut, omisso Cicerone Virgilio ceterisque veteribus, legantur ii qui temporibus nostris aliquid eadem lingua in eodem genere scripserunt. Qui si aliquid afferunt non haustum a veterum fontibus, prope reprehenduntur ; sin improbo labore hoc consecuti sunt ut in scriptis suis nihil non e priscis illis imitatum et effectum appareat, nemo tamen est qui non illos potius ipsos priscos evolvere sibique proponere ad imitandum velit. Itaque eiusmodi scripta, tanquam vina levia, quamdiu mustea sunt, ipso novitatis sapore paulisper placent ; iterum aut saepius gustata fastidiuntur. In promptu exempla sunt : Bembi, Navagerii, Lampridii aut versus, aut orationes quotusquisque hodie legit ? Et tamen aut illi nostra aetate

proxime ad antiquorum gloriam accesserunt, aut nemo unquam accessurus est. At contra si qua iidem ad illustrandos veterum libros pertinentia litteris prodiderunt, qualia nonnulla Bembus elegantissime scripsit, ea plus plusque in dies studiosorum hominum manibus conteruntur. Denique, quem sola sermonis elegantia suavitasque commendat, is aetatem ferre liber non potest.

XII

An inter se pugnant eloquentia et philosophia ?

(A) Erasmus : Ludovico Vivi. 1521.

Gaudeo revocari Musas, antehac prorsus exules a publicis gymnasiis.

Quas tamen sic recipi velim, ut barbariem tantum discutiant, non etiam obruant disciplinas cognitu necessarias, atque ad has perdiscendas conducant etiam, tantum abest ut officiant. Neque enim solis bonis litteris vacandum, quod quidam apud Italos nimis ethnice faciunt. His litteris tum demum suus est honos, quum aliis scientiis gravioribus velut condimentum admiscentur.

(B) M. Antonius Muretus : Oratio Romae habita, 1565.

Hodie enim, ut quis vulgaria rhetorum praecepta utcunque didicit, et in Ciceronis scriptis tantum posuit operae ut possit orationem aut epistolam scribere ... protinus magno eorum consensu, qui nihil altius aut sublimius cogitant, eloquentis nomen assumit. Itaque si de quopiam istorum percunctere, num Platonem, Aristotelem, Theophrastum legerit, denique num philosophiam attigerit, negabit : se enim, relicto aliis philosophiae studio, eloquentiae gloria contentum fuisse.

(C) Ioannes Picus Mirandula : Oratio de Hominis dignitate. Ed. Coloniae. 1529. p. 150.

Est enim iam hoc totum philosophari (quae est nostrae

aetatis infelicitas) in contemptum potius et contumeliam quam in honorem et gloriam. Ita invasit fere omnium mentes exitialis haec et monstrosa persuasio, aut nihil aut paucis philosophandum.

XIII

An sermo patrius Latino potior habendus ?

(A) Q. Marius Corradus : Ioanni Angelo Crottae Perusiam (Ed. Bononiae, 1575. pp. 485 sq.).

Quattuor in partes haec omnis disputatio distributa est. Aiunt nam primo, sua potius quam Latina lingua scribendum esse, quia nobis haec externa sit, neque amplius vulgari in consuetudine teneatur. Deinde in Italia duas hodie esse linguas, et suam in Latinae locum successisse, et Latinam ea conditione esse apud nos, qua Graecam olim tenebamus : atque ut a Latina Graecam, ita nostram ab illa sua eiectam fuisse. Praeterea suae linguae copiam esse maiorem quam Latinae et Graecae : et si qua nobis copia sit, illam iam minime nostram, sed alienam videri. Denique nostra lingua discenda, moram et inexpiabile damnum maioribus studiis inferri, idque malum a nobis nutriri, et ex duabus linguis tollendam esse nostram, nec debere nos duas linguas instituere ; et exemplo se maiorum facere, ut suam linguam potius illustrent, quam externam : et res omnes et artes et quicquid est in vita, sermone eo quo loquimur, scribi oportere. Quod si fiat, neque Aristoteles neque Platones in sua lingua esse defuturos.

Annos iam ducentos quinquaginta amplius, homines qui se Latinam linguam vitio temporum non rectissime adeptos, aut consecuturos confiderent meliorem, nova istac lingua scribere coeperunt ; multique postea sunt insecuti, quos nemo de nostris unquam re aut verbo violavit : de ipsis autem hac aetate plurimi et scriptis libris et foeda impuritate sermonis effutire audent nos et supervacuum Latinae

linguae studium causam esse, cur homines doctissimi evadere non possint.

Quum enim istorum nova barbaries a Latina lingua nata sit, qui eam volet intelligere, necesse est nunquam discedat a Latina... Quomodo poterunt Latina verba sine Latina lingua intelligere? An vero illi auctores, quos ipsi tantopere admirantur, Latinae linguae rudes fuerunt? An possunt ostendere aliquem ignarum Latinitatis, cuius in ea barbarie scripta ipsi laudare queant? Hoc si non possunt, quam esse causam arbitrantur? Nempe, quia sermo ille qui Latinis fere omnibus constet verbis, praetermisso Latino tractari nullo modo potest. Nam si in lingua Romana nemo unquam scribendo praestitit, nisi Graecas etiam litteras tenuerit, quia nos aliqua a Graecis accepimus, quid isti in sua, quae Latinis verbis tantum nititur, efficere queunt, si Latinitatem ignorent?

(B) Ioannes Commirius : ad Santolium Victorinum : « Aeterna » esse praemia poetarum qui Latine scribunt : circa 1670 (Ed. Paris. 1714).

Non, si carmina Gallicis
Apte iuncta modis, ingeni et artium
Idem cultor et arbiter
Colbertus meritis muneribus foret,
Romanae, ut quereris, lyrae
Omnis continuo laus perit et decus.
Nescis ut patrio novam
Sermoni faciem quaeque ferat dies?
Ronsardus male barbaro
Molles auriculas murmure vulnerat
Doctus Franciacae pater
Linguae . . . . . .
At certus Latius honos,
Et vani haud metuens taedia seculi
Perstat gratia vatibus.

(C) Iustus Lipsius : Andreae Chiocco Veronam. Lovanii xv Kal. Mart. 1604.

Ad artes veteres respicimus, et quas Graecia coluit Latiumque. Linguam vestram si excolitis, bene est : sed quo imperio ad alias gentes propagandam ? Nos quoque vestra legimus, capimus, et probamus : sed studium nonne idem Gallis est ? et lingua eorum latius patet, certe communius usurpatur. Cuique suum iudicium ; sed cum religione vetere vera et Romana stare Romanam linguam et coli debere, ego censeo : magis quia artium est scientiarum veterum custodem. Si quid in vestra Hispana, Gallica, boni aut venusti est, negabis etiam ab hac esse, cuius istae filiae ?

XIV

Quem in ordinem redigenda sunt linguarum antiquarum studia ?

(A) Ioannes Ludovicus Vives : De Disciplinis Tradendis, lib. iii.

Studium Graecitatis Quintilianus iubet Latinis litteris praeponi, sed in pueris quorum sermo naturalis esset Latinus... Latina volui prius imbibi, ut magis haereant, quorum magis indigemus, et ut sonus ac sermo universus plane Latinus sit, non Graecissans.

(B) Claudius Baduellus : ad Iac. Sadoletum de officio et munere instituendi iuventutem. 1544. (p. 26).

Graecae litterae non prius pueris mihi videntur esse attingendae quam istam partem doctrinae absolverint, ut facultatem pure planeque loquendi et scribendi assecuti fuerint. Nam neque natura puerorum adhuc tenera et imbecilla multis et variis studiis distinenda est, neque puritas atque proprietas Latinae Linguae alieno peregrinoque sermone corrumpenda.

XV

Quam consecutae sunt praestantiam litterae Graecae?

(A) Franciscus Filelfus : Praefatio in Aristotelis Rhetoricam. Ed. Aldus, 1523. fol. 136.

Cum Bononiae docerem, quod ea in urbe nemini maioribus aut honoribus aut praemiis unquam contigit, coepere nonnulli et nobiles et magni viri dare operam Graecis litteris, quippe qui iam animadvertissent, si secus facerent, ne pro dignitate ad latinum eloquium eniterentur. Quare cum Aristotelis praecepta illa his graece legerem... summis a nobis precibus contenderunt, id efficerem ut ea latine loquerentur. Censebant enim prudentes viri quod longe plus utilitatis et ornamenti ex his latinis a me factis, quoniam et illi latine loqui quam graece mallent, quam si graeca essent, assequerentur. Non enim eo Graecas litteras tantopere discere studemus, quo his apud Athenienses Byzantiosve utamur, sed ut illarum subsidio atque ductu latinam literaturam atque eloquentiam melius teneamus et lautius.

(B) Paulus Manutius : Ioanni Vincentio (Epistolae Ciceroniano stylo scriptae. Ed. Paris. 1581. p. 192).

Non enim vivimus omnes in Atticis gymnasiis.

(C) Petrus Victorius : Oratio (Ed. Florentiae, 1586).

Hac aetate nemo fere artes libero viro dignas tenere se putat, nisi a Graecis scriptoribus suo ipsorum sermone expressas acceperit : nunc enim fere mathematici, medici, philosophi Graecam linguam attendunt, cumque suis doctoribus non communione praeceptorum solum, sed societate etiam sermonis coniuncti sunt.

(D) Iustus Lipsius : Antonio Fabio Bodero Regis Galliarum Legato : Lovanii xii Kal. Ian. 1601. (Ep. II. 354).

Fateor equidem decorum magis quam necessarium esse

totum hoc Graecari : sed in adolescente, cui aetas et ingenium florent, cur spernamus etiam, et conspici nolimus hos doctrinarum flores ?

(E) Iustus Lipsius : Ep. II. 93. Lugd. Batav.

Candide ego : videmus aliquid in Graecis, sed haud multum supra vulgum : et satis mihi si hauris ex ea lingua aliqua ad animi aut scriptionis meae usum.

(F) Gulielmus Budaeus : Annotationes in Pandectarum libros. Ed. 1546. p. 554.

Ignorantiae igitur patroni discant nunc denique linguam Latinam linguae Graecae imitatricem esse, quasi quandam Graecorum linguae simiam ; ac sine Graecae linguae cognitione Latinam mancam atque debilem esse, quod nemo doctiorum diffitebitur.

(G) M. Antonius Muretus : Oratio xix. 1585.

Principio positum sit, Graecae Latinaeque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinae copiam hoc quidem tempore plane necessarium.

XVI

Quaenam ferenda de disputationibus academicis sententia ?

(A) Petrus Paulus Vergerius : De ingenuis moribus ac liberalibus studiis.

Disputandi ratio adhibenda est, per quam in unaquaque quid verum falsumve sit facile argumentando quaerimus. Ea cum sit discendi scientia sciendique disciplina, ad omne doctrinarum genus viam facile aperit... Proderit autem et de communibus studiis una cum sodalibus crebro conferre ; acuit enim ingenium disputatio, linguam erudit,

memoriamque confirmat ; ac non modo multa disputando discimus, sed et quae sic discimus, melius scimus, aptius eloquimur et firmius recordamur.

(B) Ioannes Picus Mirandula : Oratio de hominis dignitate. Ed. Coloniae 1529. p. 154.

Ad eos qui hunc publice disputandi morem calumniantur, multa non sum dicturus, quando haec culpa (si culpa videtur) omnium aetatum philosophis est communis. Sicut enim per gymnasticam corporis vires firmiores fiunt, ita procul dubio in hac quasi litteraria palaestra animi vires et fortiores longe et vegetiores evadunt.

XVII

Disciplinae severiores an a Musis semper aversae ?

(A) Gulielmus Budaeus : Annotationes in xxiiii Pandectarum libros (Ed. Lugduni 1546, pp 447-449) Digressio in Latinitatis contemptores.

Permulti ingenii monumenta circumferuntur ubique prope terrarum honori magis habita quam in Francia, qua una in provincia Minerva et Musae et Mercurius atque etiam (si diis placet) Celticus ipse Hercules Accursianorum Momo (sic enim vocant derisionis Deum) non modo concedere coguntur, sed etiam inde conviciose probroseque quatiuntur. Id quod eo indignius esse mihi videtur quod ab iis hominibus humanitas in Francia, veluti fabula quaedam iners, theatro exigitur et exploditur... Ideo classicos et assiduos auctores (ut antiquo verbo iuris utar) ex quorum lectione humanitas quaeritur, omneis ad unum uno illo addito elogio damnaverunt, quod nihil ad stomachum facerent alimentis assuetum Minervae sordidae et illotae... Atque ideo eos in sese pessime consuluisse pronuntiare non erubescunt, qui humanioris studii curriculum ingredi institerunt et peragere. Videlicet studiosis

litteras decoxisse interpretantur quos capturas forenses expiscari non vident aucupiaque basilicana omni spe consectari, quem unicum finem studiorum esse communis prudentia statuit.

(B) Petrus Bembus Ioanni Baptistae Fideli, Patavio xi Kal. Feb. 1532 (Epist. Fam. lib. vi).

Horum temporum iurisconsulti bonas, hoc est, Latinas litteras ne attingunt quidem. Itaque tu, qui sermonis elegantiam cum sapientia coniunxisti, pluris unus existimandus es, quam alii sexcenti.

(C) Claudius Baduellus : ad Iac Sadoletum S. R. E. Card. Epistola. 1544 (pp. 18-19).

Videmus quam pauci sint hoc tempore Medici vel Iurisperiti vel Theologi qui in illis artibus cognoscendis tractandisque ita versantur ut dignitas earum elegantiaque requirit... Ita fit ut postea infeliciter ac sine ulla laude profiteantur eas rerum maiorum scientias quas sine consilio, sine ulla institutione liberali cupide intemperanterque arripiunt.

XVIII

An gerendae sunt in scholis scenicae personae ?

(A) Angelus Politianus Comparino suo (Epist. lib. vii. 15.).

Rogasti me superioribus diebus ut quum fabulam Plauti Menaechmos acturi essent auditores tui, prologum facerem... simul ut obiter notarem quosdam nostrae aetatis non quidem Plautos sed tamen pistores, qui comoedias absque versibus nullo nec artificio nec elegantia docent, postremo ut et stylum Plauti laudarem. Gessi tibi morem.

Prologus in Plauti Menaechmos.

Comoediam Menaechmos acturi sumus
Lepidam et iocosam et elegantem, ut nil supra :
Romanus hic est sermo, Romani sales,
Nil invenustum est aut ineptum aut graeculum,
Quale solent nugari molitores caeteri
Quorum nec ullis versibus comoediae
Nec quicquam habent comoediae praeter titulos.
Facient profecto maiora operae pretia nunc
Longe adolescentes isti, si quidem insueverint
Puro sermone Romae urbis vernaculo,
Quam si magistris freti trivialibus
Linguas tenellas polluunt stribligine,
Si quidem ita traditum est a laudatis viris,
Latine vellent etiamsi Musae loqui
Nullis usuras nisi Plautinis vocibus
Quodsi qui clament nos facere histrionicum,
Atque id reprehendant, minime diffitebimur,
Dum nos sciant disciplinam antiquam sequi.
Etenim formandos comoedo veteres dabant
Pueros ingenuos, actionem ut discerent.
Sed qui nos damnant histriones sunt maximi.

XIX

Qualis honos puerorum scholis habebatur ?

(A) Fr. Petrarca : Ep. Fam. xii. 3.

Pueros doceant qui maiora non possunt : elementario sene nihil turpius.

(B) A. Traversarius : Nicolao Niccolo. Ep. viii. 39., an 1431.

Didici et Mediolanensem ducem primo magnis Aurispam praemiis nullaque omnino accepta conditione apud se reti-

nere voluisse, ipsumque contemplatione patriae renuisse : et postmodum Venetos conducere illum voluisse ad docendas Graecas litteras, ipsumque item non acquievisse.

(C) A. Traversarius : Fr. Barbaro. Ep. vi. 20.

Cupit Guarinum iuventus nostrae civitatis ita mirifice, ut nihil non factura quod illi fore sentiat gratum videantur. Praeterea et magistratus ille, cuius munus est eruditos viros conducere pro ornamento civitatis, adcersere illum parat salario quod ipse statuerit : mirumque omnino est quam in illum atque in illius nomen honestissimae voluntatis summaeque nobilitatis adolescentes suspensi sunt.

(D) A. Traversarius : Nicolao Niccolo. Ep. viii. 46. 1433, Venetiis.

Georgius Trapezuntius, vir sane peritus et graecarum et latinarum litterarum, libentissime se conferet ad nos, si honestum sibi salarium decerneretur vel publice vel privatim. Ardet ingenio, et mirum est confidam civitati nostrae futurum et commodo et ornamento si adcersatur. Plus agit quam loquatur, et iudicio meo aptissime imbueret adolescentes tum graecis litteris tum latinis : longeque esset Filelfo fructuosior. Si qua spes est eum conducendi, credas, Nicolae carissime, multum conferret civitati.

(E) Rudolphus Agricola : 20. Dec. 1482.

Fuit oblata mihi conditio Antverpiae, opulenta certe : poteram enim lucrari trecentos Remenses annuos. Sed ministerium parum liberale erat, praefecturus enim scholis litterariis eram, quae res quum per se sordidior sit, tum studiis meis plurimum impedimenti fuisset allatura.

Datur schola, res acerba, difficilis, morosa, aspectu ipso accessuque tristis et dura.

(F) Claudius Baduellus : ad Sadoletum S. R. E. Cardinalem Epistola de officio et munere instituendi iuventutem. (pp. 11, 12). Nemausi, 1544.

Non mihi dictu facile est quanta sit in iis ludis qui in hac provincia cuivis patent, cum bonarum litterarum tum praestantium ingeniorum quibus ista regio abundat, depravatio atque corruptio. Nam nec modus ullus ordoque et docendi et discendi in illis conservatur, nec ratio ulla latine elegantesque aut loquendi aut scribendi, nec forma aliqua doctrinae atque institutionis quae litteris disciplinisque antiquorum consentanea sit, sed tanta confusio et perversio quanta nullis aliis in rebus esse potest.

XX

Quousque se porrigit artium liberalium orbis ?

(A) P. P. Vergerius : De Liberalibus Studiis. V.

Designativa vero nunc in usu non est pro liberali, nisi quantum forsitan ad scripturam attinet, scribere namque et ipsum est protrahere et designare : quoad reliqua vero penes pictores resedit.

(B) Fr. Filelfus : de liberorum educatione iii. 3.

Quod ad figurativam vero attinet, non multum instamus, quod nec multum nunc inter liberales artes habeatur... Quod vero pictorum propria est, non tam honesta quam utilis etiam antiquis esse videbatur, quod ad habendum de vasis ac tabulis statuisque emendis iudicium, quibus plurimum illi delectabantur.

(C) Lapus Castelliunculus : c. a. 1440.

Ceteras omittam artes et facultates, musicam arithmeticam physicam geometriam astrologiam metaphysicam, et illas paullo tenuiores picturam et sculpturam, in quibus quidem hac nostra aetate adeo iam multi et praeclari et nobiles extiterunt, ut nihil ab iis praeterea requirendum putem.

(D) Gulielmus Budaeus : Annotationes in Pandectarum libros. Ed. 1546. p. 544.

Iurisprudentia pars est civilis scientiae quae rursus ipsa pars est moralis scientiae. Porro moralis scientia tertia pars est philosophiae, etiam cum philosophia angustissimis finibus circumscribitur. Latius enim patet philosophia cum pedissequis suis comitata orbem illam doctrinarum complectitur qui encyclopaedia dicitur.

XXI

Artium liberalium disciplinae in ordinem redactae.

(A) Ferrariae : Historia Academica (Borsettus, 1733. Vol. I. 262-3).

Materiae ordinariae quae Lectoribus Artistis assignantur ineunte saec. xvii :

In Mane :—

Ad Lecturam Logicae :
- Anno 1. Liber I. Analyt. Poster.
- Anno 2. Liber II. Analyt. Poster.

Ad Lecturam Philos. Naturalis :
- Anno 1. Liber de Generatione et Corruptione.
- Anno 2. Liber Meteorologic.
- Anno 3. De Sensu et Sensili.

Ad Lecturam Metaphysicae :
- Anno 1. Liber I. Metaphys.
- Anno 2. Liber VI. Metaphys.
- Anno 3. Liber XII. Metaphys.

Ad Leturam Humanitatis :
- Anno 1. Ciceronis Opera.
- Anno 2. Virgilii Opera
- Anno 3. Horatii Opera.

Ad Lecturam Philos. Moralis :
- Anno 1. De Moribus ad Nichomachum.
- Anno 2. Liber Politicorum.

In Sero :—

Ad Lecturam Philos. Naturalis :
- Anno 1. Libri Physicorum.
- Anno 2. De Coelo.
- Anno 3. De Anima.

Ad Lecturam Rhetoricae et Poesis :
- Anno 1. Libri Rhetoricae.
- Anno 2. Liber Poeticae.
- Anno 3. Historiae Taciti.

Ad Lecturam Mathematices :
- Anno 1. Sphaera Sacrobosei.
- Anno 2. Elementa Euclidis.
- Anno 3. Theoricae Planetarum.

Ad Lecturam Ling. Graecae :
- Anno 1. Isocratis Orationes.
- Anno 2. Homeri Ilias.
- Anno 3. Homeri Odyssea.
- Anno 4. Euripidis Tragediae.

XXII

Qua in opinione habebatur sermo Italicus apud Latinitatis et antiquitatis cultores ?

(A) Angelus Politianus : Florentiae laudes.

Nec tamen Aligerum fraudarim hoc munere Dantem
Per Styga, per stellas, mediique per ardua montis
Pulcra Beatricis sub virginis ora volantem...
Unde tibi immensae veniunt praeconia laudis
Ingeniis opibusque potens Florentia mater.

(B) Petrus Bembus : Carmen ad Sempronium, a quo fuerat reprehensus, quod materna lingua scripserit.

Nam pol qua proavus avusque lingua
Sunt olim meus et tuus locuti,
Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiae damus et damus Latinae
Studi tempora, duplicemque curam
Quam Graia simul et simul Latina
Hac uti ut valeas tibi videndum est,
Ne, dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis et labore villas,
Domi te calamo tegas palustri.

(C) Christophorus Landinus Florentinus : Ad Carolum Arretinum.

Nam qui pulchra tuos cecinit, Proserpina, raptus,
Prima tenet vates primus in urbe sua.
Cui nec concedit qui terras, sidera, manes
Quod stupeant omnes evigilavit opus.
Hunc iuxta Gallam Tyrrheno carmine Lauram
Qui canit, et Latio Punica bella pede.
Hic et Bocchacci spectabis nobile nomen,
Qui pinxit varium doctus amoris opus.
Nec Leonardus abest tibi qui, Florentia, tantum
Quantum Romanis Livius ipse dedit.

(D) Colucius Pierius Salutatus Rei publicae Florentinae Cancellarius : Nicolao de Tuderano.

Est mihi cura quod possim habere correctum opus divinissimi Dantis nostri... Nihil altius nihil ornatius nihilque scientia profundius illis tribus Canticis possumus demonstrare. Quae quidem apud alios singula sunt et singularia, sunt ab eo absolutissime comprehensa. Illic enim mirum in modum praecepta moralia elucent, nitent physica, theologicaque resplendent. Illic rhetorica sententiarum atque verborum schemata patent tali cultu, quod alibi difficile fuit talem ac tantum ornatum in summis auctoribus invenire.

(E) Philippus Villanus : Dantes Aligherius.

Poesin vir maximus Dantes Aligherius quasi ex abysso tenebrarum ereptam revocavit in lucem dataque manu iacentem erexit in pedes, ipsasque vatum fictiones, naturali atque morali Philosophiae cohaerentes adeo cum Christianis litteris concordavit ut crederes veteres Poetas quasi afflatu Sancti Spiritus quaedam Fidei nostrae ratiocinasse mysteria.

XXIII

Quibusnam vinculis coniunctae sunt inter sese septem artes liberales ?

(A) Hugo A S. Victore (1096-1141) : Didascalion, iii. 5. (Migne, PL., 176, c. 769).

Mihi errare videntur, qui non attendentes talem in artibus cohaerentiam, quasdam sibi ex ipsis deligunt, et ceteris intactis perfectos se his posse fieri putant.

(B) Bartholomei Vespuccii Florentini : Oratio habita in celeberrimo gymnasio Patavino pro sua prima lectione A. D. 1506, laudes prosequens Quadrivii.

Restant artes illae liberales quae praecipue ipsi menti tribuendae videntur. Quarum tres primae in sermonem tanquam in unum finem tendentes trivii nomine describunt. Grammatica, linguae scientia, congrue nos loqui docet. Dialectica rectum sermonem verus sit an falsus ostendit. Rhetorica demum ornatum orationi adhibens persuadere conatur. Supremam vero mentis partem excolit ac perficit mater artium philosophia, quae vel res in mera hominum voluntate constitutas vel a natura productas praecipue contemplatur. Primae parti deservit ethica, quam sequitur politica quae iuris pontificii pariter ac civilis magistra civitates regere consuevit, quibus ultima de re familiari subnectitur economica.

Altera vero philosophiae pars res continet a natura productas, quae omnes in speculatione consistunt. Res quidem omnino a materia seiunctas iuxta Christianum dogma theologia, iuxta philosophorum placita considerat metaphysica.

Res demum materiae coniunctas tantum ut ab ipsa solo intellectu segregatas mathematica declarat scientia, quae in sui gremio quattuor reliquas artes, septem liberalium numerum absolventes, amplectitur; quae omnes cum ultima astronomia tanquam in finem dignissimum ordinentur, non immerito quadrivium a dignissimis auctoribus appellantur. Earum vero omnium quantitas diversimode considerata dicitur esse subiectum. Omnia quae ad numerum absolutum spectant ipsa arithmetica metitur atque diiudicat. Numerum vero non in se ipso sed ad sonum relatum musica pertractat. Geometria huic succedit quantitates continuas immobilesque designans, cui alumna dicitur Geographia. Possim hic diopticam atque catopticam tanquam ipsius Geometriae filiolas subdere. Ad ultimam Astrologiam deveniemus, quae circa magnitudinem mobilem maxime versatur.

(C) Georgius Trapezuntius (1395-1484) : Praefatio Rhetoricorum lib. i. (Ed. Aldus, 1523).

Cum mihi in mentem venit, quanta oratoriae facultatis tum utilitas tum dignitas sit, non possum non vehementer

dolere quod his nostris temporibus nulla fere bonarum artium tam abiecta atque contempta videatur. Nam etsi nonnullae liberalium artium, ut Geometria, ut Arithmetica, et quae huius generis sunt, omnino ab usu ceciderunt, ne non multum eas ad humanitatem pertinere dicam, non sumus tamen in ipsis tantam passi iacturam quantam in hac humanitatis artium praeclarissima maximeque necessaria.

(D) Iudocus Clichtoveus Neoportuensis Ioanni Molinari bonarum litterarum studiis deditissimo (in Almo Parisiorum Studio, 1503).

Inter eas disciplinas (quae Mathemata Graeci vocant) duae, Arithmetica et Geometria, praecipuum sibi locum vindicant, mi Ioanne, quae ad ceteras assequendas viam sternunt, ipsisque ignoratis nequicquam reliquis addiscendis praestetur opera. Quis enim Arithmeticam non edoctus Musicen pane intellexerit? Quis item Geometriae inexpertus Inspectivam aut Astronomiam calluerit? Enim vero hac ope adiuti ingenui adolescentes non modo logicis et physicis disciplinis imbui commodius poterunt, verum etiam et Mathematicis, quae ad animum liberaliter instituendum apprime conferunt et ad dialecticas naturalesque scientias non aspernandas suppetias ferunt. Et sane ad eas magnopere anniti generoseque aspirare debent quicunque dexteriore nati sunt ingenio bonarumque studio literarum integre sunt addicti.

XXIV

Litterarum humaniorum apud Parisienses per centum annos vicissitudines.

(A) Guillermus Fichetus Parisiensis theologus doctor Bessarioni. (BN. Paris. Rés. 2. 1683. f. i). circa annum 1465.

Ac mihi rhetoriculae scribendae tibique mittendae fecit audaciam amor eloquentiae, quam et mirabar et dolebam

Gallos nostros ad hoc tempus latuisse. Nam de philosophia quidem illa quae de moribus aut rerum natura est, deque sacris litteris disputare, disputata nudis verbis perscribere plerisque nostratibus commune : idque feci facioque ut ceteri. At vero dicendi scientiam non modo litteris mandare sed ne perpensius quidem cognoscere, nostrorum nemo conatus ad hunc diem est.

(B) Guillermus Fichetus : Praefatio Rhetoricorum Librorum. Parisiis, 1471.

Quidam vero tam a dialectica philosophiaque absunt (quarum illa quidem nervos, hic, ut sic dicam, succum et corpulentiam tribuit oratori) ut quisquis e nostratibus alterutram facultatem plurimum callet, illos in primis floccipendat atque despiciat. Quo fit ut tametsi Parisiorum Lutetia locum in demortuis Athenis nulla parte laudis inferiorem sit studio reliquarum artium assecuta, nemo tamen ad hanc usque memoriam Parisii emersit qui ut Plato ut Aristoteles ut Isocrates ut Theophrastus ut Attici quidem aliique plurimi rhetoricam cum omni philosophia tandem aliquando sciret ac doceret. Quin hi quidem nuda rerum cognitione contenti... minimopere student eloquentiae.

(C) Philippi Beroaldi Bononiensis : Oratio de laudibus Gymnasii Parisiorum. (B. N. Paris. Rés. p. Z. 121).

Quae hac tempestate in Italia florent, diuque floruerunt, Patavi scilicet, Ticini, Perusiae, Pisis, litterarum studia Parisiorum gymnasiis inferiora esse nemo doctorum infitiabitur. Sed nec illustrissima Bononiensium civium meorum studia cum his comparare ausim, quae primas in Italia partes haud dubie sibi vindicant, extra Italiam istis summam palmam deferentia.

(D) Ioannes Petrus Perpinianus (1530-1566) : Oratio xv. ad Parisienses. an. 1564. (Ed. Rotomagi, 1606. pp. 453-6.).

Dico perpaucas esse scholas bene institutas quae et ortum et incrementa sua Parisiensi Scholae accepta referre

non debeant. Complutum in Hispania celebratur doctissimorum hominum frequentia ? Omnia fere illius instituti sunt tralaticia, ex Academiae vestrae moribus et institutis magno studio descripta. Est in pretio et honore Salmantica? Etsi non hinc videtur scholae suae formam tam dissimilem expressisse, tamen illud, opinor, vobis debet quod exemplo vestro Hispaniae regis ad colenda doctrinae studia excitastis. Valentia, civitas clarissima, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluens, quodcunque sibi proposuerit exemplum, non prius tantam elegantis doctrinae famam quanta nunc floret consecuta est, quam suos cives, instructiores quam venerant, ex hac urbe recepit. Vidi Conimbricae, quod oppidum est in Lusitania, gymnasium regio sumptu aedificatum, tam salutaribus institutis ac moribus, ut affirmare, audeam nullum ei par, neque in reliqua Hispania neque in tota Italia reperiri. Si quaeratis per quos fuerit constitutum, partim per vestras homines comperietis, partim per cives, verum ex his optimarum artium sedibus advocatos...

Recte igitur haec una scholarum mater est, unde vel omnes vel plurimae ubicunque gentium scholae sunt profectae. Laus eo studiosius vobis retinenda est. Cavere diligentissime debetis ne studia paululum curamque relaxetis, nisi vultis florentissimam Academiam incitatissimo rerum humanarum cursu ad interitum rapi.

(E) Claudius Minois : De re litteraria orationes tres in Academia Parisiensi habitae per Claudium Minoem, Divionensem, scholae Marchianae classicum, Parisiis 1576.

Animadverti iam diu, Auditores, insolentem admodum et invisam Philologis omnibus Academiae solitudinem. Undecunque id factum sit, mecum una reputans multiplices esse causas facile deprehendi... Est enim, ne in re tanta quidpiam dissimulem, iam pene omnino conclamatus puerisque ipsis agnitus non omnium sed certe multorum doctorum morbus, et eorum qui hodie teneros adolescen-

tulorum animos instituunt, supina quaedam crassaque ignoratio et imperitia... Hinc etiam fit ut plerique gymnasiorum moderatores primarii, et nonnulli praeceptores... neque scholas quarum curam gerunt pro dignitate, neque adolescentes quibus praeficiuntur ex officio curare velint.

Nos vero nobiscum expostulare possumus quod acrius urgeamur bellorum plus quam civilium interventu, et nova factiosaque novorum hominum coitione, ut duplici hoc funestoque incendio nihil Gallis ipsis nostraeque huic scholae possit accidere gravius aut exitiosius. Tumultus enim Gallici tam nefarie incepti tanto furore et insania plusquam belluina transacti et ad hunc usque diem miserrime perducti, nobis quasi e manibus extorserunt virtutum pene omnium et humanitatis fructus suavissimos quibus olim Francorum imperium prae ceteris nationibus atque populis extulit. Non enim videntur fuisse concitata primum nefaria haec et cruenta bella in homines dumtaxat, sed revera giganteo quodam consilio in Deum, in virtutes omnes artesque liberales, quas magna ex parte hic extinctas et quasi deletas summo nostri omnium dolore intuemur.

(F) Iustus Lipsius : Fr. Raphelengio Parisios : Ep. xvi. Kal. Ian. 1574, Lugduni Batav. data.

Vetus sane Parisiensium doctorum gloria valde flaccuit et imminuit.

XXV

Urbes scientiarum humaniorum fautrices.

(A) Ioannes Bodinus : Oratio ad Senatum Populumque Tolosanum, 1554.

Meministis tempus illud, Tolosates, cum artes adhuc sepultae iacerent, cum tota Gallia regnaret barbaries, cum Graeca ipsa monumenta, denique Graecorum omnia ardere visa sunt, Franciscus Valesius, Galliarum rex, velut ad

sarciendam Graeciae casum natus dicitur ; ut quem admodum Nicolaus V Pont. Max., et Laurentius Medices iacentes in Italia disciplinas post ducentos ac mille annos erexerant, sic Valesius in Gallia, sed maiore animo, maioribus etiam praemiis et opibus illas tueretur ac certissimam sedem illis stabiliret.

(B) Angelus Politianus : Ludovico Odario (Epist. 44).

Duos mihi viros tulisse aetas nostra videbatur qui rem litterariam non quidem cunctando sed multa agendo potius restituerent, Federicum Urbinatem principem olim tuum, et Laurentium Medicen patronum semper meum, utinamque semper. Hi duo (ni fallor) ausi in tantis seculi huius tenebris lucem sperare, quasique contra torrentem pessimorum morum brachia dirigere ; ergo et librorum pulcherrimam supellectilem sibi compararunt et doctos iuverunt et ipsi studia tractarunt.

(C) Blondus Flavius : Triumphantis Romae lib. viii.

Ad viros itaque eiusdem urbis ex nostro more institutoque veniamus. Habuit semper hactenus urbs Veneta viros maritimorum bellorum et mercaturae gloria claros : sed ante patrum aetatem nullo decorata est viro litteris ornato, praeterquam Andrea Dandulo duce, quem Francisci Petrarchae testimonio doctum fuisse scimus.

(D) Petrus Victorius : Epist. lib. x.

Dux autem hic est Guidus Ubaldus ille, qui magnopere dilexit studia litterarum et vehementer amavit homines liberali doctrina excultos. Quare ad eum multi, dediti optimis studiis et nobiles admodum viri confluxerunt, delegeruntque sibi Urbinum tanquam domicilium quoddam Musarum. Horum vero duo fuerunt Petrus Bembus et Federicus Fregosius.

(E) Blondus Flavius : Triumphantis Romae, lib. viii.

Neç solum litteris et bonarum artium studiis, sed aliis quoque delectati sunt Romani, cognationem quandam cum

litteris habentibus : signis scilicet, statuis, et veterum operibus sculptilibus.

(F) Balthasaris Castilionius Mantuanus : Epistola uxoris suae Hippolytes nomine scripta.

Te tua Roma tenet, mihi quam narrare solebas
Unam delicias esse hominum atque Deum.
Hoc quoque nunc maior, quod Magno est aucta Leone,
Tam bene pacati qui imperium orbis habet.
Hic tibi nec desunt, celeberrima turba, sodales :
Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modo tot priscae spectas miracula gentis,
Heroum et titulis clara tropaea suis :
Nunc Vaticani surgentia marmore templa
Et quae porticibus aurea tecta nitent.
Sola tuos referens vultus Raphaelis imago
Picta manu curas allevat usque meas.
Sed mihi nescio quis narravit saepe tumultus
Miscerique neces per fora perque vias.
Cum populi pars haec Ursum, pars illa Columnam
Invocat, et trepida corripit arma manu.

(G) Franciscus Bencius : Orationes (Edit. Ingolstadii, 1595).

Urbs Roma theatrum est pulcherrimum ingeniorum atque virtutum, litterarum amans.

XXVI

An pietati in patriam obstabat vetustatis venatio ?

(A) Petrus Crinitus : Poematum lib. i., ad Faustum de Carolo Rege Francorum cum ad Urbem tenderet cum exercitu.

Quid occupatum litteris urges tuis
Frustraque totiens flagitas
Ut impotentis Galliae fastum gravem
Regemque dicam Carolum ?

Satis superque, Fauste, dedimus lacrimis,
Clademque nostram luximus :
Et ecce rursus additur malis scelus :
Fovemus ipsi Galliam,
Vides nefandis ut trahuntur odiis
Plerique Tuscorum duces.

(B) Petrus Crinitus : De honesta disciplina xv.

Nescio quo fato superiore anno evenerit, quo Francorum rex Carolus Italiam cum infesto exercitu et instructis copiis invasit, ut principes viri in litteris atque in summis disciplinis clarissimi perierint, hoc est, Hermolaus Barbarus, Ioannes Picus Mirandula, et Angelus Politianus; qui omnes in ipso Francorum adventu et conatibus immaturo obitu ad superos concesserunt. Sed enim litterae ipsae ac studia bonarum artium simul cum Italiae libertate coeperunt paulatim exstingui barbaris ingruentibus, cum deessent hi homines qui illis suo patrocinio assiduisque studiis mirifice foverent.

(C) Petrus Crinitus : Poemat. lib ii : ad Thomam Fuscum de malis suae aetatis.

Exactum video, Fusce, decennium
Quo Martis fragor et dissidium potens
Vexavit Latium : sic studium mali
Excrevit magis in dies.
At nos Pieridum quos retinet decus
Et mollis tenerum carmen inertiae
Nil ultra faciles credimus affore
Inceptis gravibus deos.
Implebunt Latium sanguine martis.
Reges Hesperii...

(D) Ioannes Antonius Flaminius : Marci Antonii pater ad Iulium II. Pont. Max.

Aspice quo rerum nostrarum summa redacta est,
Et patrium, cuius vix manet umbra, decus.

Quanta sit haec Latiae subeunda iniuria genti,
Quam foedum patriae decus, ipse vides.
Hic vetus imperii locus est, hinc clara propago
Pontificum, hic rebus gloria parta tuis.
Serviet ergo quibus dominata est Romula tellus?
Itala tam turpi terra premenda iugo?
Insultare aliquis vel dicere possit, Iulo
Pontifice, Italiam barbara iuga pati?
Flos Italiae, virtusque tibi delecta iuventae
Militat : in castris haec habet arma tuis.
Quot confecta tibi iam tali bella fuerunt
Milite! quot tali parta tropaea manu!

(E) Petrus Crinitus : De Henrico e Septimello Florentini agri, Semipoeta.

Perlegi Henricum, in quo opere tempus perdidi : carmen ineptum et plane Britannicum.

XXVII

Artium politiorum varietates et fortunae.

(A) D. Erasmus : Cornelio Goudano. Ed. 1703. III. ii. app. 411.

Ea litterarum mihi videtur esse vicissitudo, quae et in ceteris opificum (quos mechanicos appellant) officiis. Nam et priscis temporibus omnis generis opifices clarissimos viguisse omnium propemodum vatum testantur carmina. At nunc, si ultra tercentum aut ducentos annos caelaturas picturas sculpturas aedificia fabricas et omnium denique officiorum monumenta inspicias, puto et admiraberis et ridebis nimiam artificum rusticitatem, cum nostro rursus aevo nihil fit artis quod non opificum effinxerit industria. Haud aliter quoque priscis seculis cum omnium artium, tum praecipue eloquentiae studia apprime floruisse constat, atque inde barbarorum increscente pertinacia evanuisse.

(B) Bartholomaeus Facius : de Nicolao Niccolo.

Graecae et Latinae linguae omnisque antiquitatis studiosus picturam statuariam ac veterem elementorum formam ceterasque artes nobiles quae vel ingenio vel manu artificum commendantur, quae iamdiu apud nos consenuerant, in usum revocavit.

(C) Philippus Beroaldus Bononiensis : De Nicolao Niccolo.

Numismatum quoque auxilio usus est Nicolaus Niccolus ad detegenda veteris orthographiae vestigia, de qua librum composuisse se testatur Guarinus Veronensis in epistola ad Blasium Guasconem. Nec erubuit aerei nummi aut argenti marmorisque et codicum graecorum testimonia afferre.

(D) B. Scala : Angelo Politiano, prid. Kal. Ian. 1493.

At ipse cum rem militarem cum litteras cum philosophiam cum picturas sculpturasque nostras reliquaque aetatum ornamenta considero, et confero cum vetustioribus, quid putas ? cadunt animi, pudereque incipio nostrorum studiorum.

(E) Villanus : in Codic-Gadd. De Pictoribus Italicis.

Fas sit hoc loco egregios pictores Florentinos inserere, qui artem exsanguem et paene extinctam suscitaverunt, inter quos primus Ioannes, cui cognomento Cimabue nomen fuit, antiquatam picturam et a naturae similitudine pictorum inscitia pueriliter discrepantem coepit ad naturae similitudinem quasi lascivam et vagantem longius arte et ingenio revocare. Constat siquidem ante hunc graecam latinamque picturam permulta saecula imperitiae ministerio iacuisse, ut plane ostendunt figurae et imagines quae in tabulis atque parietibus cernuntur Sanctorum ecclesias adornare.

XXVIII

Quatenus in Academia Parisiensi ante Budaei aetatem excultae fuere artes liberales ?

(A) Nicolaus Clemangius : (c. a. 1360-1440), in Collegio Navarrae Gersoni discipulus, postea (a. 1394) Univ. Stud. Paris. Rector. Ep. iv. v. ad Galeottum de Petra Mala S. R. E. Cardinalem (Op. omn. Lugd. Bat. 1613, pp. 20, 27-29).

Absit ut negare velim esse optimum artem ipsam artisque praecepta agnoscere, quae me quoque apud Ciceronem et Quintilianum legisse confiteor, magna ex parte comprehendisse. Sed hoc certissime verissimeque adstruere audeo legendis Tullianis orationibus quam legenda ipsius arte longe plus me eloquentia profecisse, quod ceteris puto consimiliter accidere...

Ex recentioribus autem primo Bernardus occurrit, deinde Hildebertus Cenomanensis, Ivo Carnotensis, Odilo, Hugo, et Petrus, venerabiles Abbates Cluniacenses ; Hugo deinde et Ricardus, Canonici Sancti Augustini regulae sectatores. Diebus autem Bernardi nostri coepit in Galliis simul cum fervore religionis stylus coli et resurgere, multique (quos et partim iam memoravi et partim subticui) illa aetate eloquentiae hic studuerunt, plurimaque valde utilia et memorabilia scripserunt... Equidem in studio Parisiaco etiam saepe Tullianam publice legi Rhetoricam, saepe item privatim nonnunquam etiam Aristotelicam. Poetae vero summi et optimi Virgilius atque Terentius illic etiam saepe leguntur...

De postero post Franciscum tempore, ipsum non opinarer Franciscum divinando futuraque praesagiendo velle amplecti... Scripti namque te adversus illum esse stomachatum, quod hisce nostris diebus, multis iam a suo transitu evolutis annis, aliquid oratoriae poeticaeque facultatis contra illius sententiam in Gallia videres.

XXIX

Humanitatis et antiquitatis studia apud Hispanos.

(A) Aelius Antonius Nebrissensis : Ad optimam eandemque maximum Augustam Elisaben huius nominis tertiam Prologus. (Introductiones in Latinam Grammaticam... Ex impressione Cantabrica, Logronii, 1510. ff. 10, 11, 135.)

Tuae vero Celsitudini extremum hunc artis grammaticae laborem meum dedicandi illa ratio fuit, quod nemo est qui non intelligat : quam sit tibi iucundum quod non modo adolescentes nobilissimi qui sunt tuo ministerio dedicati, verum etiam reliqui omnes omnium aetatum atque ordinum homines dent operam vel praecipuam litteris, quas antehac quasi nimis delicatas atque animorum enervatrices oderant...Vos, inquam, clarissimi atque invictissimi principes, quorum ductu auspiciisque totius Hispaniae membra dissipata in unum prope corpus rediere, curate, obsecro, ne felicitati quam nostro seculo dedistis hoc unum Latini sermonis ornamentum desit amplissimum...

Graecae vero litterae qua via nostris hominibus tradi possint non est in promptu, propterea quod praeceptorum non minor est penuria quam librorum : sed quod magis obstat incredibilis hominum veternus qui adeo ad hanc unam rem adeo obtorpuerunt ut iam monstro simile habeatur si quem viderunt graece legere, nedum loqui aut intelligere.

(B) Petrus Myrteus Utinensis : In Tumulum Aelii Antonii Nebrissensis Inscriptio.

Me putat aeternum saxo posuisse sub imo
Acerba mors, et fallitur.
Non ingrata etenim mea gens volitare per ora
Dat, et per oras omnium.
Haec mihi pro reduci studio Latiisque Camoenis
Certe tropaeum non minus
Quam tibi pro Mauris debet, Fernande, fugatis
Et pro recepta Baetica.

XXX

An congruunt doctrinae de studiis artium liberalium excolendis tum in Orientis tum in Occidentis partibus receptae?

(A) Michael Glycas : Annales, iv. (Ed. Bekker, 302 B).

ὁ μέντοι ὑιὸς αὐτοῦ του Λέοντος Κωνσταντῖνος ὁ πορφυρογέννητος κρατήσας ἔτη ιδ... πράξεων ἀγαθῶν οὐ παντάπασιν ἄμοιρος ἦν . τὰς γὰρ ἐπιστημὰς, ἀριθμητικὴν, μουσικὴν, ἀστρονομίαν, γεωμετρίαν, καὶ πᾶσαν ἁπλῶς φιλοσοφίαν, ἐκ μακροῦ χρόνου τῇ ἀμαθείᾳ καὶ ἀμελείᾳ τῶν κρατούντων ἀπολωλυίας οἰκείᾳ σπουδῇ ἀνεκτήσατο.

(B) Ignatius : Vita Nicephori (Ed. De Boor, pp. 149-50).

περί τε τὴν τῆς μαθηματικῆς τετρακτύος ἀνάληψιν, ἥτις ἐκ πεπερασμένων συνεχῶν καὶ πεπερασμένον διωρισμένον τὴν σύστασιν εἴληφεν (ἡ γὰρ κινεῖται καὶ ποιεῖ τὴν ἀστρονομίαν, ἡ ἀκίνητός ἐστι καὶ ποιεῖ τὴν γεωμετρίαν, ἡ πάλιν ἐν σχεσὶ τυγχάνει καὶ ποιεῖ τὴν μουσικήν, ἡ ἄσχετός ἐστι καὶ ποιεῖ τὴν ἀριθμητικήν), ἐπὶ τοσαῦτον οὗτος δι' ἐπιμελείας ἀφίκετο ὡς ἀντὶ πάντων ἕν, καὶ ἀντὶ ἑνὸς ἅπαντα ἐξασκήσας ἐν πᾶσι τὸ πρωτεῖον πορίσασθαι... ταύταις ταῖς τέσσαρσι θεραπαινίσι τῆς ὄντως ἐπιστήμης προσομιλήσας σαφέστατα ἐπὶ τὴν τούτων δέσποιναν, τὴν φιλοσοφίαν φημί, καὶ τὰ ταύτης ἐξ ἑτοίμου ἐβάδισεν ἀπλανῶς θεωρήματα.

(C) Nicephorus Gregoras : Historia Byzantina vii. ii.

ἦν δὲ ὁ ἀνὴρ (Ἰωάννης ὁ Γλυκὰς) σόφος ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ σφόδρα τῆς εὐγενοῦς ἐκείνης τῆς Ἀθηναίων ἠχοῦς εἴπερ τις ἐχόμενος, καὶ τύπον ἐκεῖνον καὶ τρόπον καθάπερ τι θεῖον τηρῶν ἀρχέτυπον .

ἕν τι μόνον ἴσως αὐτοῦ καταμέμψαιτό τις, ὅτι πρὸς οὐδένα τῶν πάλαι ῥητόρων ἀναφέρειν βεβούληται (ὁ Μετοχίτης Θεόδωρος) τοῦ τῆς αὐτοῦ γραφῆς χαρακτῆρος τὴν μίμησιν.

(D) Anna Comnena : Alexias, xiv. 7.

τὰ δὲ ἔξωθεν καὶ ὅσα μοι συνεπεπτώκει οὔπω τὸν ὄγδοον ὑπερελασάσῃ χρόνον καὶ ὅσους ἐχθροὺς ἡ τῶν ἀνθρώπων μοι κακία παρεβλάστησε, τῆς Ἰσοκράτους Σειρῆνος δεῖται, τῆς Πινδαρικῆς μεγαλοφωνίας, τοῦ Πολέμωνος ῥοίζου, τῆς Ὁμηρικῆς Καλλιόπης, τῆς Σαπφικῆς λύρας ἤ τινος ἄλλης παρὰ ταύτας δυνάμεως.

EXCERPTA EX SCRIPTORIBUS

SAECULI XVI

GULIELMUS BUDAEUS (1467-1540)

1-9 : De Studio Litterarum recte et commode instituendo, ad Franciscum Regem Franciae, Gulielmo Budaeo Parisiensi, Consiliario regis, auctore. 1527.

10-20 : Gulielmi Budaei de Philologia libri II ad Henricum Aureliensem et Carolum Angolismensem, Regis filios. 1530.

1. Clarescunt Litterae Bonae.

Neque vero emendate loquendi facultas, cum quadam scita sermonis lautitia, oratoria tantum est ipsa, ut vulgo esse creditur : sed per omneis quoque partes orbis disciplinarum fusa, cum ex omnium scientia concreta sit et compacta. Quare ex unaquaque carpere potest ipsa suo iure quod in usum promendum esse duxerit : vicissimque ipsa servire unicuique scientiae, aut certe simul ut occasio et oportunitas sese obtulit, operam, quatenus opus est, benigne debet accommodare. Nam quae scientia, quae facultas duntaxat liberalis, fasciculum vel unum colligere gloriae in sua messe potest, sine orationis huius facultate? Age (ut iam gloriam omittam) quonam modo laboris sui commentationumque fructum cum posteritate communicare ; cuius professionis studium, tot tantarumque partium capax, quemadmodum finibus nullis circumscribitur, ita annalibus legibus nullis tenetur, cum ceterarum artium studia curricula sua habeant, certis annis, quasi spatiis, demensa, moribus et institutis scholasticorum. Verum enim vero haec dicendi facultas cum de omnibus scientiis atque artibus, hac ratione et commode et honeste mereri possit ; de theologia etiam

gnaviter et apposite ; nuper tamen homines pauci ex theologorum ordine extiterunt, Appiana pertinacia praediti ut, qui Linguae Graecae peritiam, literarum haud dubie bonarum magistram atque instauratricem, pravarum opinionum institricem esse fremerent et assertricem, pro concione quoque, id quod eo capitalius fuit, quod ea, quae pro concione dicuntur, sic a plebe populoque adeo imperito fere excipiuntur, quasi ex ipso veritatis sacrario pronunciata. Huius autem calumniae ansam homines inde nacti fuerant, quod eodem pene tempore litterae Graecae inclaruissent, eorumque studium incaluisset ; et prava quaedam dogmata, antiquae orthodoxiae punctis confixa saepius et circumscripta, in medium relata rursus essent, ut nova oracula, et coelo recens delapsa. Quasi vero non eiusdem sit aetatis interdum, et visenda miracula edere, et monstra detestanda. Momicae certe est improbitatis et calumniae ista reprohensio. Huiuscemodi igitur calumniae face, importunae Litteris bonis occasioni ab illis clamitatoribus admota, litterae Graecae aliquot annos rerum novarum invidia flagraverunt, pene capitalium.

2. *Criminatio Litterarum Graecarum.*

Verum eius invidiae flamma, quae primum mire et super lauream (ut dicitur) flammam et spineam crepitans, omnia prope tribunalia sacrarum concionum occupaverat, sensim subsidere suapte inanitate coepit, et brevi contabuit, quippe bucculentis contentionibus tantum anhelicisque excitata, nec materiam inveniens solidae calumniae, statim vires amisit : simul ut intelligi a plerisque coeptum est, id esse potius sordentis iam et exoletae Minervae patrocinium, quam religionis labefactatae et pietatis stabilimentum. Nunc vero quis non videt aemulationem illam efflorescentis solidae et germanae doctrinae, dissentaneam esse cum innocentia theologica, apostolicae charitatis et probae notae aemula ? Veruntamen aliquot homines fuerunt sacerdotes,

tam proiectae temeritatis tanta ut hostia, tam eximia, tam illustri, id est Linguae Graecae damnatione, parentare instituerint iacenti et emortuae ordinis sui maiestati, quippe qui viderent Litterarum Graecarum funere litteras quoque bonas elatum iri. At hoc quid est aliud hac aetate, tuo, Rex ingeniosissime, principatu Francisce, hodierno hominum sensu, quam olim fuisset florente Atheniensium republica, Palladem illam celebratam in arce concremare, et Romae ignem Vestae perpetuum extinguere ? Certe exprimi nostra oratione non potest, quam perditae audaciae, quam durae frontis et marmoreae ea conspiratio fuerit.

Homines perpauci ut ex tanto quidem certe numero, superciliosi illi quidem et frontones, sed pusilli et inermes, praecipiti iniquitate exagitati in medium prodierunt cum fascibus exesis, et squallidis auctoritatis inveteratae, qui spiritibus suis non diffiderent aurem iam crebrescentem inhibere retro se posse, litteris reducibus undecunque afflatam : qui explosam iam diu rusticitatem foedamque barbariem, in scenam ita reductum irent, ut plausum ab orchestra et ordinibus, et ab omni parte theatri exspectarent. Qui cum Deum ipsi, divos hominesque pios superiore e loco contestarentur, quasi in re perdita, in sacrosancta fide prodita, quiritantes, aegre unus et alter annus et plusculi sustentati sunt. Neque enim quisquiliosam tantum plebem concitaverant declamitanda, sed etiam gravioreis per multos et existimatio reis in caussam perlexerant aemulatione subdola atque quiritabili. Nec prius autem obstinatior eorum manus ab incepto destitit, (namque lege sacrata, ut dicitur, coierant et conspirarant) quam se destitutos plane senserunt a cohorte eiusdem ordinis prudentiorum. Qui omnia permisceri aegre ferebant eam ob caussam tuendam, quam omni iure lapsam cassamque esse intelligebant, et porro colore iam carentem. Verum quid interim maledictis litterarum Graecarum et bonarum nomen, eorumque studiosos compellaverint, quasi impia fraude se obligarent, qui Graece scire cuperent : quam Vatiniano odio earum defensores prosecuti sint, silentio praetereundum duxi : ne paucorum

pertinacia capitalis atque petulantia, in crimen non hominum sed ordinis, a nobis versum esse existimetur, quem ordinem ego magnopere venerandum esse censeo, eiusdemque noxae in universum insontem, tametsi interdum ipsum ab ea culpa vindicare nequeo cum maxime cupiam. Eo autem indignitatis res evaserat et vesanae contentionis, concionum ut argumenta, non ab evangelio, non à sacris vaticiniis, non ab oraculis coelestibus sumerentur : sed a criminatione Litterarum Graecarum, quasi errorum seminarii.

3. Lauta et elegans Minerva.

Quapropter cum ea quasi satyriscorum fabula non modo ad primores populumque praetextatum : sed etiam ad pullatam et circumforaneam multitudinem offendere cepisset, (placere enim diu personata aemulatio non poterat, quae conspicue plus sanguinis quam spiritus praeferebat pro concione) tum demum a prudentibus isti correpti, quae multo iam maxima pars est ordinis et elegantissima, vix tandem conquierunt. Certe cum nequicquam vociferando rabulae irraucuissent, tacere coacti sunt, quorum tamen aliquando factio tantum potuisse dicitur, ut senatui suo vel decretum vel consultum expresserint de nece praestantissimae doctrinae, quod patrum conscriptorum maiestatem praeferebat, censuraeque supercilium, cuius rei memoriam intexere operi regiae maiestati dicato non alienum esse censui, cum in fidem tuam stirpisque tuae eximiae, dotibus ingenii admirandae, Litterae et Graecae et optimae, nuper se contulerint, eoque maxime pluteo ab istorum machinis protectae sint. Hodie autem eousque in diversum profectum est, ut exhedrae theologicae non vocibus modo Graecis, sed sententiis plenis non verecundae personent. Nam et eorum dialogi contentiosi, quos Graeci ἐριστικοὺς appellant, quibus scholas probatorias a matutino ad vesperam diebus statis et solemnibus exercere moris est, doctae iam et scitae mire

meditantur esse, dignaeque auribus eruditis, ob id utique iam visendae magno studio atque frequentandae. Adeo lauta et elegans Minerva, ut olim illa Phidiae (quod Marcus inquit Tullius) simulatque visa est et agnita, probari quoque ab omnibus coepta est.

Nec non tamen fortasse id perpetuum erit in hac ipsa theologiae professione, ut in iuris quoque studio et medidinae, ut partes faciant lautitia et illuvies, et ut pinguis atque etiam tetrae atque horridae Minervae discipuli, orationis non dico lepores et venustatem, sed etiam veram verborum intelligentiam floccifaciant arietina quadam aut vervecina pertinacia, tanquam ad rem non pertinentem. Cum quibus disserentem rationibus et argumentis contendere legitimis atque probabilibus, ad κρίου (ut ita dicam) μέτωπον quod promontorium est Cretae, caput est oblidere. Inter doctos enim et elegantes, et illautos istos et caperatos, de litteris semper ita convenit, ut inter Stoicos et Epicureos de bonorum malorumque finibus. Nec honoratior Lacedaemone senectus olim, quam iuvene me hic rusticitas fuit attonsa ad aureis et superciliosa, quam nunc fremere ipsam frendereque non magnopere mirum est, de ponte (ut aiunt) deiectam in comitiis Minervae compositae atque urbanae. Avita etiam aequalisque eius rusticitatis fuit, severitas dicam, an saevitia, praeceptorum, qui velut truculenti patrui pueros non litteras, sed vapulandi patientiam docebant et infantiam : quasi compitalitios verberones docendos mastigiasque suscepissent, non oratores futuros aut professores disciplinarum.

4. Sorbona et Navarra.

Sed fuit ea fortasse temporum magis quam hominum imperitia et absurditas, quae litterarum luce caruerunt : nunc porticus duae orthodoxiae Sorbona et Navarra, et philosophiae theologicae tanquam oracula duo nominatissima, qua fines cunque patent nominis christiani : et Latinae

iam et Atticae Minervae non modo sedendi locum, sed etiam loquendi inter disputantes dederunt. In quibus tamen antehac doxosophi fefellerunt pro summis philosophis : non simulationis suco tecti, sed caligine temporum, quae tum ita ferebant, ut homines horridi atque agrestes, immo vero gens hominum truncis et duro robore nata, ad theologiam protinus, ut olim Epicurei ad philosophiam transirent. Quare valeant illi antiquarii et misologi cum suis consectariis hispidis, tetricis, et male coagmentatis : quae tamen, ut dictum est, iuniorum industria et ingeniosorum luculente coeperunt enitescere. Nobis autem ad institutum revertendum est ex tristi et molesta digressione : et in quam invitus non digressus ipse, sed dilapsus sum, quippe qui theologiae studii nomen quoddam esse semper existimarim. Illis quidem certe qui pedes abluere et abstergere cupiunt inquinatos a luto vitae civilis et theatricae : in quo vel sapientes altius haerent saepenumero, nam illotis pedibus quis conscendere suggestum theoriae valeat, in edito loco sanctoque collocatum ? ex quo rursus ad arcem philosophiae ascensus est sublimis ac iam beatus, quam anagogen Graeci et anastasim vocant.

5. Studia feliciora.

Mihi vero haec scribenti in mentem veniebat, poenitendam meam fortem et pene deplorandam esse, qui iuventutis florem totumque robur aetatis in his studiis contrivissem Litterarum luce nondum cis Alpes exorta, nisi admodum exili nec memoratu digna. Tunc vero cum haec proderem, claritate Litterarum plane reddita vitae, insperatam iuvenum ad eadem studia contentionem exarsisse viderem cum profectu memorabili. Graecorum etiam voluminum vim magnam pervagari cum opera chalcotyporum, tum vero industria quorundam hominum doctorum in commune libros conquirentium. Quo illorum sunt studia feliciora, queis nunc quantumvis lectionis helluonibus, ad satietatem

frui licet iis epulis, quibus ego tantum liguriendis animum pascere tunc cogebar, inani saepenumero contentione atque irrata, mihi adeo, ut ex huius proventus ubertate, multum esse quod curriculum ineuntibus gratuler : quo ipse vero frui possim, parum esse videatur, qui cum annos ipse meos numero in studio consumptos, Tithonus mihi esse videor : cum ea quae desidero ad iustam eruditionem, aestimo, non plane e tironibus excessisse me sentio. Ceterum quod ad eos attinet, quibus aetas nondum ex studiis his excessit : cum ex tanta clade tantoque diluvio, quod tamdiu mortales in caligine densa disciplinarum tenuit : Litterae tum Graecae tum earum aemulae Latinae, emersae sint, etsi adhuc fortasse fugientes ipsae ob vetustatem aliquantum dici possunt : causa est certe digna, quam ob caussam ii, quibus praeter integram aetatem, per vitae rationem quoque id licet, et modum facultatum, ingenia, perclitari libenter et accurate debeant. Quid est enim post religionem doctrina Christi Servatoris conditam, post pietatem a discipulis eius constitutam, post veritatem sapientiae, legemque insontis vitae, tot talibusque suppliciis divorum necibusque mirificis sanctam atque testatam, quod mortalibus dare maius providentia magisque optandum potuerit, ad vitam temperandam salubribus institutis ?

6. Flexibilitas dictionis Latinae.

Quid autem vetet elegantem simul et pietatis redolentem orationem esse, prorsus ipse non video, praeter pravae consuetudinis corruptelam, quae oculis nostris auribusque ita obrepsit, ut eloquentiae dignitatem inesse, et poeticae concinnitatem non posse, sine bacchabundae impuritatis diraeque genio existimemus. Quasi vero Plato, qui Moses Atticus appellatus est, non eadem gratia veritatem et fabulas enarraverit : quasique non tam a Lingua Latina abhorrere ante Ciceronem philosophia videretur, quam nunc videtur Theologia, et Iuris civilis pontificiique prudentia.

Haec opinio planipedem Theologiam nostram ac Iuris divini prudentiam, pro cothurnata magno errore fecit : cum vis de rebus divinis aut ad divina pertinentibus graviter disserendi, et sententiose, explicate, eleganterque dicendi, quo fastigii est maioris inter doctrinas humanas, eo majore pietate decoraque iungenda sit. Omnis enim propemodum ubertas sapientiae, et ipsa (ut ita dicam) sentiendi sylva atque intelligendi, e libris consecratis petenda est hodie. Sed res et sententiae ab iis exornandae sunt, quibus Aegyptiis opibus bene peculiatos esse contigit. Ab ipsa igitur figlina Promethei, et ab illa plastice antiquae philosophiae, quae luteos tantum homines animalesque fingit, ad Minervae coelestis augustaeque sapientiae officinam transeundum est magna et proba religione, quae vitae spiraculum ficto homini quasique inanimato addidit, eadem etiam terrae quasi prius incultae novat faciem ad semen foecundius excipiendum. Quod si absque dispendio nitoris atque elegantiae lingua Latina pie loqui innocenterque non posset, equidem pura eadem sacrisque digna supellectile utendum esse censerem potius, quam impietatis emblemate antiquo locupletata. Nunc cum ea sit flexibilitas eloquentiae ac dictionis Latinae, ut sine imminutione splendoris sui induere ipsa personam piam, ac sustinere possit atque perferre, cur tam maligne de ea nos meremur, ut obscoenam tantum eam esse fabulatricem, et profanarum partium actricem credamus, et pronunciatricem? Atqui ad dicendum probabiliter (ut Marcus inquit Tullius *II. de Oratore c. LXXXII.*) caput est nosse mores civitatis cuiusque? qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe mutandum : Cum igitur mores et vita ab impietate migrarint ad pietatem divinitus proditam : quamnam ob rem tandem una quoque non transferetur eloquentia, quo nihil est ductilius? Et si ad res Latinas indicandas et eloquendas secula, quas recentia pepererunt, indiesque alias atque alias pariunt : non una Latinitate, quae placere non potest, sed rediviva opus est (alioqui Latinae Linguae copia sensim imminuetur, et tantum a posteris proficietur in inopiam)

quare in ea parte vitae, quae ad sacra, ritus, cerimoniasque salutares pertinet, et ad divina explananda aut commendanda irredivivus fermo Latinus erit et Graecus ? Ego vero amictum novum ex veste scite interpolata, aptandum esse eloquentiae censeo, qui legibus et institutis civilibus, ritibusque adeo conveniat religioni consentaneis.

At enim novum est hoc inceptum et in arduo situm. Sit sane (non enim caussam dixerim) atque etiam in lubrico, et confragoso : modo ne in undique abrupto et inaccesso. Nam et Latinae Linguae instauratio in multis partibus quae iam restitutae videntur, non protinus atque inoffensae cessit experienti contentioni ; nec si facile non fieri, ideo prorsus non potest. Esto haec aerumnarum summa in certamine elocutionis probae restituendae, et barbariae exterminandae : maior denique aerumna sit illa quidem, quam uno ut Hercule aut altero confici ipsa possit. Sed eiusmodi tamen, quae desperanda non sit vel Herculi, vel Ulyxi.

7. Transitus ad Sanctiora.

Mihi vero rei naturam amplitudinemque aestimanti oraculum primae et ultimae sapientiae, sic in sacrosanctis monumentis esse tanquam in sacrario quodam videtur augusto et venerando. Ceterum antistes eius atque interpres responsorum esse, ea quam Graeci paediam, nos litterarum peritiam iustam dicimus : quae choro disciplinarum liberalium constat, quam tamen et ipsam tyrocinium aliquamdiu facere oportet in limine sapientiae, sermonique symbolico aureis initiare. Longe vero hac litterarum professione, quam nobis suscipiendam esse dico, antequam studium capessimus ultimum idem et summum, amplior est illa, ab antiquis etiam dicta sapientia, rerum humanarum cognitionem divinarumque complexa : quae non prius ipsa studiorum curriculo defunctam esse se existimabat, quam septimo (ut dicitur) spacio decurso ad metam pervenerat. Sed quibus in externa disciplina cum successu versatis iusta stipendia

implevisse contigerit, indeque ad sapientiae Christianae studium aspirare, ut olim multis evenit, eos ego tam felices arbitror, quam qui urbium multarum visendi caussa, morumque variorum et memorabilium inspiciendi, diu peregrinati, ad extremum in civitatem quandam amoenissimam atque beatissimam ascribuntur : ibique domicilium et larem domesticum semel collocant.

At vero moderandae vitae recteque instituendae ideo commoda est antiqua quoque philosophia, quia in multitudine et celebritate hominum conversatio, sensuum depravatrix est. Siquidem vita civilis prudentiaque communis, non germana ratione, sed spuria res humanas contemplatur et expendit, ut notum est attente aestimantibus. Simul actionum suarum summam votorumque, adulterina quadam ratiocinatione erraticaque colligit, quippe quae hominum vitam iis institutis temperet, quae indigenis et civibus huius orbis congruunt. At ii, qui sapientiae dicto audientes sunt, incolas tantum hic homines et peregrinos esse censeant : ob idque in coelum quasi in patriam et sedes suas aspirare omni ope contendunt, non aliter atque animi coelo extorres, ad tempusque vitae relegati, contra qui in multiplici commercio vitae urbanae mersi sunt, revertendi in patriam animum amiserunt, cumque letheas aquas biberint, iisque inebriati fuerint, in vinculis et ergastulo opus faciunt : cum tamen ipsi sibi soluti religione, liberique videantur. Contra quae incommoda philosophiae commentationes, praesertim Platonicae, quasi antidota comparata sunt ab hominibus ingeniosissimis.

Verum enim vero a Graecorum et gentium exlegum litteris, abruptum facere transitum ad sanctiorem philosophiam, divinarum tantum rerum contemplatricem, non cuivis proclive est : non magis quam a virentibus et amoenis ingenii pascuis, ad inculta aspectu primore et horrida transire, illorumque longe dissimillima. Quocirca mens profana expiabilibus initiis (ut dicere coeperam) paullatim lustranda est, antequam specimen sui facere incipiat, castius cautiusque commentando in vestibulo magistrae sapientiae. Deinde

ita se comparare studiosum hominem oportet, ut iam non animi causa sacris litteris incumbere, sed animae potius assuescat. Neque enim ultra suo sed philosophiae stomacho servire constituit, qui ad hoc studium bona fide sese contulit cum suis omnibus facultatibus. Hoc cum bona (ut dixi) fide, strenuaque voluntate aliquandiu factum fuerit : et eo usque animus iam vere philosophus paullatim progressus sit, ut ad exhedram interiorem philosophiae abstrusioremque insinuaverit ; ecquis est deinde tam adversa salute natus, quin nuncium tandem remittere paratus sit exoticis illis doctrinae lenociniis, quibus diu lactatus oblectatusque fuit ? Tum enim demum Mercurius externus et mortalis, advenienti coelesti Mercurio aequo animo et reverenter cedit, cum sapientiam humanam oraculari et divinae imparem esse omnino intelligit. Quod nisi urbanae vitae Sirenes, atque in celebritate hominum hallucinante mersae, mentem intus conditam, meditationique aeternitatis suapte natura feriantem, illecebris solicitarent multifariam variis, et vero nisi auribus et oculis illabentia nugarum illicia, animum abducerent e principatu suo : quotus est tandem quisque sic diro iudicio, ita praepostero sensu praeditus, quin illis intabescere chartis utilius esse ac suavius duceret, quam scenae vitae civilis, quam populi oculis et plausui exitialiter servire ? denique quam animam per tot aestus, tantas iactationes, tot euripos affectuum civilium agere ?

8. Sacra Philosophia.

Proinde omnium disciplinarum longe censenda est princeps sacra illa philosophia quam Theologiam vocant, eique eam ob causam submittere fasces omneis alias professiones aequum est, nosque litterarum bonarum cupidissimi cum de ea loqui institerimus, caput adaperire continuo debemus : ut est in proverbio. Hoc igitur pietate imbuti studiosi teneant, quasi musarum elegantium simul et piarum oraculum, adolescentis ut animi paedagogon philologiam, ita

senescentis philosophiam gerontagogon esse debere, ipsum porro nomen philosophiae, ita demum venerandum et augustum esse, si commentationum suarum sanctuarium in arce theoriae collocaverit : quam nobis providentia humani generis cupida et evocatrix, in monumentis sapientiae architectata est, quos libros sacros vocamus. Nequaquam autem ad auspicandum philosophiae studium exspectandum esse donec emeritos iam oculos, effoetamque speculationem homo studiosus habeat. Et vero homini studiorum liberalium curriculum ita ingresso, ut inde ad primam summamque philosophiam transitum sibi muniat, plerumque satis esse debet, si id, quod Graeci dicunt τὸ ὅτι assecutus sit : artiumque singularum professoribus τὸ διότι reliquerit, ne ad Sirenios scopulos tandem ipse haereat, oblitus sibi sedem esse propriam et perpetuam petendam. Non enim doctum esse continuo praeclarum est et optandum, sed sane quoque doctum esse et salubriter oportet. Quando quidem multi fuerunt egregie viri docti, quos sinistras literas, non dextras, musae docuisse dicuntur, ut inquit Athenaeus. Musae autem quanquam liberales et ingenuae, vocibus tamen suis lactare primum animos iuvenum solent, atque ducere, deinde magis ac magis trahere ac rapere. Postremo agere ipsos (ut aiunt) ac ferre studiosissimos sui, omnibusque fortunis interdum evertere et spoliare. Cum interim ita ingenio suo, quisque eorum indulgeat et obsequatur, ut cum genio proprio belligeret, ut utar verbo Comici. Unde sit ut litterae specioso nomine bonae et elegantes dictae, saepe tamen male audiant ut ingratae atque damnosissimae.

9. Litterarum decus in Francia.

Cum autem aetas imperii tui aequalis Princeps benignissime, ad lucernam iam plane illustrem recognoscere institerit in Francia antiquae doctrinae reliquias tum Latinas, tum Graecas, tuae posthac liberalitatis erit, obstrictaeque fidei (ut nosti) et beneficentiae, spei bonae et gravidae

donativo hominum vere litteratorum contentionem alere, tueri, et adaugere. Reges enim et Monarchae, tametsi legibus soluti sunt, nec civili tenentur actione, honoraria tamen ipsi in iudicium famae vocari possunt, atque etiam periclitari. Liberales autem disciplinae, quas nostra complectitur uno hodie nomine Philologia, libertatem (ut ita dicam) liberalium eademque perpetuam poscunt, cum illae, quae ad quaestum institutae sunt, aut certe moribus iam diu comparatae, Saturnalium libertate tantum temporariaque egeant. Quare illae liberales et ingenuae ab observantiae et famulatus mancipio apud tuae maiestatis aequitatem, quasi apud maximum praetorem afferendae sunt, eorum suffragationibus qui apud ipsam maiestatem magna pollent auctoritate. Ita autem fert natura, ut quam quisque maxime ad colendam Philologiam feliciter natus est, tam ille ab observantia illiberali et suae operae venditatrice, maxime alienus sit. At id organum est ipsum praecipuum cum gnava impudentia illius hominum industriae, quam opificem fortunae fictricemque unicuique, vulgo homines esse dictitant, auctricemque fortunatum.

Haec habui fere, quae scribenda nunc ducerem de bonarum litterarum studio instituendo, tuendo, et moderando, sub tuo, Francisce rex, fausto felicique litteris nomine in publicum proditura . A te enim expectatur cum meo, tum aliorum non paucorum exemplo, ut Philologia diu in Minervae ludo, eo quo dictum est modo, exculta, deinde honoris officinis pro cuiusque captu et ingenio perpoliatur, contra quam moribus Franciae ante te receptum erat.

Non enim tibi minore gloria dignum erit litterarum decus in Francia, ingeniorumque honorem restituisse, quam olim Romae fuit Augusto, Parthica signa tanto intervallo in urbem retulisse. Nihil autem Philologiae tantum obfuit ante te Regem, quam cum posita sit in oculis maxime gratia, illa audita tantum fuit fando in aula : idque obscura fama atque malignissima. Nunc autem non tantum acroamata Philologica primas gratiae partes, in conclavi regio, et super epulas tuas obtinent : sed etiam generosissima tua

proles, excellentissimis ingeniis praedita, incredibili sub oculis tuis profectu, nobilissimi cuiusque studium aut favorem, ad caussam litterarum tuendam et exornandam accendit. Comparandae autem litteris gloriae immortalis subsidium unum hoc habes maximum. Si enim facere perseveraris, id quod iamdiu non obscurissime semper tulisti, ut doctissimorum hominum decurias, iudicum aliorumque magistratuum, in omni regni tui parte supplevisse merito dictitere (id quod mox futurum esse speramus) cum maioribus tuis longe insigni gloria praestitisse : tum vero posteris tuis facem praeluxisse amplificandae eiusdem gloriae videbere.

10. Hallucinatio publica dispellenda.

Litterarum optimarum studium recte nunc comparatum esse Generosissimi Principes, laetari vehementer ipse coeperam : eamque ob causam meo vitae instituto suavi cum gratulatione mecum ipse acquiescere quippe quod nationum pene omnium consensu, quarum ad nos usque fama pertinet, probari intelligerem. Graecarum vero litterarum studium luculenter et passim apud nostros efflorescere, quod annos ego complureis sine aemulo deperieram (qui quidem certe quoquo modo innotuerit) gaudio triumphabam. Iuvabat enim audire explosam non paucorum hominum disiectamque coitionem, facinorosam et capitalem : qui litterarum claritati denuo recens exortae, tenebras offundere Cimmerias obstinaverant. Verum quoniam ita rem natam esse videbam, ut qui iusta animi contentione atque acriter ad eam curam incubuissent, ii liberali ingenio magis homines esse et ingenuo quam frugi existimarentur : ad vulgusque ea de caussa non magnopere eorum consilium, ad ordinesque probaretur : vereri mihi subiit, ne ea contentio litteras bonas certatim perdiscendi, quae repente extiterat, cito quoque consenesceret. Nam cum singularum fere artium professio reddere foenerato soleat quod ei expensum ingeniosissimus quisque tulit atque strenuissimus : e diverso

litterarum optimarum studium, quod universarum summam artium disciplinarumque complectitur, in sortem quoque decoquere diligentissimo cuique hodie manifestum est, idcircoque male audire apud multos solere : apud eos etiam pessime, qui rei augendae curam conditionisque amplificandae, omnibus aliis curis praevertendam esse rentur et consectandam. Et quidem, ut nunc sunt mores, cernere est luculenter in liberalissima sorte studiorum geminam eandem summamque indignitatem. Nisi vero non summa est indignitas, quod homines honestissimae doctrinae amantissimi, publiceque honnorificentissimae, nullo loco hodie numeroque habentur, ne extremo quidem in congiariis liberalitatis regiae distribuendis : quae tamen ipsa imprimis praemia virtutis esse deberent, animorumque iacentium propter fortunae iniquitatem, suscitabula, atque intermortuae eorum contentionis. Nisi etiam non pudendum est fronti publicae, quod longe lateque pauperies in eorum patrimoniis conspicua est, qui liberalissima studia atque iam olim nobilissima, negociatoris studiis et quaestoriis anteferenda duxerunt : quo nihil nec acerbius doctae ac facundae senectuti potest esse, nec invidiosius callilogiae, apud ingeniosissimum quemque hominum iam mire gratiosae. Haec igitur animo mihi versanti, Principes suavissimi (a natalibus ipsi ac generis fastigio non magis illustrissimi, quam generosissimi ab ingeniis praecellentibus, voluntatumque indole eximia) cupido incessit haud ita pridem, periclitandae voluntatis regiae. Hanc enim ego numinis instar esse existimabam, ad dispellendam illam (ut ita dicam) nubem hallucinationis publicae, quae certam Philologorum nationi calamitatem importatura videbatur, nisi obviam mox iretur. Operae autem pretium non mediocre facturum me putabam, si Deo bene juvante, parentis vestri majestatem cum benignitate nodis nota, litterarum bonarum nomini, praesentes, propitias ac faventes redderem. Id quod facere me posse eo sperare facilius et confidere coepi, quod uberrima naturae dote praeditum ipsum esse noveram, atque beatissima, simul eruditionis germanae et antiquae admiratione non vulgari, quasi naturae sponte magiste-

rioque imbutum. Quod si litterarum natalem instaurativum (qui in id tempus in Francia incurrit, quo tempore parens vester Regum Illustrissimus, auctus est tanto diademate) benignitas afflaverit, quam speramus, sideris natalitii (quod non fine laetis ominibus mihi ipse omnibusque spondeo) doctorum utique jam centuriae ex quinta (quod ajunt) classe in primam secundamque transcribentur, duntaxat sui quaeque ordinis et generis. Id porro ne frustra, ne de nihilo, ne temerariis de caussis sperare ariolarique videamur, regii adhuc favoris praejudicia habemus nec pauca nec contemnenda : quaedam etiam clarissima, non ex tempore effusa, non in labris, non inter buccas nata, nec vero quae ore ipsi Regi excidisse videantur alias res agenti : sed quae inita (ut ajunt) subductaque ratione, non in occulto, non obscure, sed palam, ut ipsi scimus, et tanquam pro solio regali pronunciata. Atqui regiae non modo sententiae, sed étiam opinionis tanta est auctoritas apud Francos, quanta usquam maxima esse potest gentium, tanta vis ad incitanda studia vel inhibenda, eo ut vergant statim omnia et ferantur, quo sensus ejus et voluntas propendere noscuntur, id adeo regiorum ut oculorum circumactu scena (ut sic dicam) ipsa reipublicae, theatrumque totum communis prudentiae, cum orchestra, cum ordinibus, cum cavea denique cuneisque versetur. Quod si in hac fatali inclinatione animorum quae hoc principatu extitit, privata forte nostra ratio hactenus implicita estet, ut ordo litteratorum apud eum adjutus et sublevatus meo patrocinio et suffragatu, sua deinde vi in priscum honoris gradum opinionisque reponeretur : id mihi non minus amplum apud nostros, tam commemorandum in praesens et in posterum, fore existimabam, quam si ordo ipse Philologorum, aurum (ut dicitur) coronarium, ad statuam mihi contulisset in Athaeneo collocandam.

11. Artes illiberaliores.

Queritur chorus ille disciplinarum ingenuarum atque liberalium, quem Graeci eruditionis orbem patrio verbo

appellaverunt, non eodem se numero, non pari loco universum haberi, quo singulae artes longe illiberaliores habentur. Iamprimum medicinae professores, artis quidem mortalibus commodae et utilis, sed tamen quaestuariae, apud omnes ordines fere gratiosi sunt. Theologia quasi morum censura, verendos et honoratos sui studiosos efficit, cuius studii doctura, populi magisterium defert ad multos non peritissimos hominum. Iuris vel prudentes vel versuti interpretes, caussarum disceptandarum artifices, litium consarcinatores, quos Graedi δικοῤῥόφους appellant, praeter honores supra commoda, quae multa ex publico a singulisque accipiunt, in hanc etiam auctoritatem venerunt, id sibi ius omnium consensu, moribus quidem certe nostris et multorum, afferunt, unicuique ut hominum inermi, qua principi, qua privato constituant suis responsis, consultis et decretis: quid sui habere, quid alieni : quid sacri, quid religiosi : quid iure, quid iniuria quibus denique finibus, quo iure, quatenusque videatur, id quod meri, pleni, iusti imperii conspicuum instar habet, latissime patentis quoque versum in capita fortunasque mortalium, atque etiam in nomina, in bona iam divorum. Quum interim (si divis ipsis placet) pontificii iuris professio pomoeria quaedam effata suae ditioni circumdederit, angustiora quidem illa, sed non minus superba, alteque minantia : At orbicularis illa doctrina omneis numeros professionis complexa, omnium scientiarum elementa rationesque commentans, earum etiam disceptatrix honorariaque arbitra, quam Paediam Graeci, nomine parum ambitioso, nos litterarum scientiam vocamus : ex adytis quidem ipsa sanctioribus, ex editis tribunalibus, e curiis, e consiliis, e conventibus iuridicis, e conciliis panegyricis, iamdiu summota est, velut quaedam rhapsodia, inter ea censetur acroamata, quae animi tantum causa in ocio quaeruntur. O multa, Here, absurde, o indigne quaedam et praepostere moribus comparata. Ceteris artibus legitimum tempus ad magisteria sui generis adipiscenda constitutum est, et tanquam ad clepsydram dimensum contentionis spatium : at studio litterarum elegantium tot lustra

non sufficiunt, quot anni singulis aliarum attributi sunt. Nam etiam huius studii magisterium sapientia dicta est antiquitus, princepsque phiosophia : quo nomine meritissimo (ut temporibus illis) indito, nullum nec amplius, nec augustius excogitari potest. Hanc indignitatem, Here, quot, quantosque Democritos passim nobis, nostratibusque adeo omnibus excitasse censes, homines acutissimos ac rerum perspicientes, ut recti pravique discrimen ignorantibus ? Memini vero, cum primum a te accersitus sum, inter alia hoc te de me percunctatum esse, Cuinam maxime disciplinae studerem, et quo nomine studium id vocarem, quo ardere dictitabar : ipsum autem aliquamdiu addubitasse, deinde in hanc sententiam respondisse. Viam discendi me ingressum esse non leniter acclivem, duabus velut orbitis cinctam, quas duas Linguas esse dicebam omnium Linguarum celeberrimas. Hasque duas orbitas varia dicebam habere diverticula : quibus in ipsis per illustria interdum et plana expatiari, interdum per opaca et salebrosa necesse esset, iis duntaxat qui ad duo iuga montis evadere constituissent. In his porro iugis priscae sapientiae gazas quarum philosophia indagatrix est, et admiratrix, conditas esse dicebam doctorum hominum opinione : iis omnibus inaccessas, qui fallacia discendi deviaque compendia capessenda censuissent et conjectanda.

12. Budaeus in aulam accersitus.

Reges ante te omnes Franciae auream quidem illam fortunam habuisse in contubernio censeo : sed vel caecum nonnullos, vel oculis fortasse perversis, vel certe noctuinis, tenebras ut facilius ac iucundius quam claritatem splendoremque cernerent. Quod per me quidem licet, ut temporum magis quam hominum fuerit vitium. Vereor autem, ut explanate et apte dicere possim, quod animo concepi. Reges duos consecrandae memoriae vidi, quibus tute successisti, Carolum octavum, et Ludovicum duodecimum socerum tuum,

quorum manes recte conditos esse divina benignitate, utinam non falso cum multis, ipsorum merito speraverim. A Carolo ego commodum in aulam accersitus fueram, cum ille repentino casu sublatus est, et exierat iam rumusculus quidam studiorum meorum, qui ad eum permanaverat, nihil minus me agente, qui clancularius tum eram amator impuberis adhuc Philologiae, et pene etiam infantis. Paulo superiora tempora meminisse magis possum, quam satis animadversa compertaque habere. Verum ex quo certissime memini, sic fuit Franciae status constitutus, aurea ut illa fortuna (quantum quidem pertinet ad eam rem, quam agimus, et ad litteratorum hominum ornamentum) oculis atque auribus perinde capta fuerit, tametsi Rex uterque acrem unum oculum probumque habuerit, Guidonem ab Rupe forti, virum omnia summa meritum, si eo multum uti ad eam rem explorandam ipsi instituissent. Obrepunt autem saepe cum privatis, tum Regibus simulatio atque dissimulantia, quibus velut praestigiis atque Gygis annulo, capitalis saepe fallacia, oculis praestrictis se subducit alioqui non hebetibus, pravique hominum mores, aut inertes, aut degeneres fallunt sub integumento frontis vultuumque tectoriis. Sed longe capitalius est, (ut mihi quidem videtur) aurium ludibrium in Principe, quam oculorum : quoniam in eo non tam suo errore Principes, quam imaginaria fide, elogiorumque auctoritate ementita circumveniuntur. His autem moribus praediti erant illi Principes (etsi dissimili ingenio nati) ut si incorrupta hominum fama ad aureis aulae interioris penetrare potuisset, cum multis ipsi benigne atque commendabili beneficentia acturi dubio procul fuerint, quibus tamen iuvandis sestertii unius nummi instar sibi nunquam expensum ferri iusserunt. Contraque complureis ut munificentia sua indignos contempturi fuerint, quos opimis iidem ipsi congiariis prosecuti annuis quoque opimis insuper auctoraverunt. Itaque vivis illis principibus, famae commendatricis inani praerogativa, et votis irritis popularium multos designari in urbe magistratus, antistitiisque ornari non paucos sacerdotes audiebamus, qui punctum ne

unum quidem in comitiis regiarum regum ipsorum tulerunt. Sed sic fuit semper fortunae iniquitas, non caecae quidem modo, sed etiam caecatricis eorum plerumque quos arcte complexa est, bonorum virorum ut calculis ipsa et sententiae, iniquis eventibus enixe refragaretur : Verum eorum regum tempore, litteris bonis operam dare (id quod mihi maxime, ut si cuiquam alii contigit) nihil fere aliud, multitudinis atque etiam honores obtinentium hominum opinione fuit, quam stultorum ferias (ut ita dicam) agere, qui dies olim festus apud Romanos fuit. In eorumque studiorum vacatione functionumque immunitate acquiescere, quae ad fortunam unicuique faciendam, et ad fortunas augendas moribus comparatae sunt. Tametsi Rex Carolus humanitate singulari, liberalitateque memorabili praeditus, et litterarum elegantium opinione quadam imbutus, quarum nomen tantum in Italia raptim quasique per transennam audierat, earum me gratia, et Graecarum praecipue, quae tum in Francia pene erant inauditae, evocandum mandarat, ut supra dixi. Eram enim tum plus minus quadriennium in rudimentis utriusque linguae, nullo cum sodali, sed mecum ipse tantum et cum lare familiari clam et verecunde versatus, quod ad eum fando (ut fit) permanaverat. Namque eam ob rem, non clarus ipse quidem apud nostros, sed spectandus tamen et monstrabilis eram : utpote qui ad musarum contubernium tunc infrequens atque inane, sic viam affectassem, ut qui ad desertum diversorium, nulloque insigni notum obscurumque divertunt. Et erat tum in Francia litterarum bonarum doctrina ferme tam vendibilis et expetita, quam olim erat Lacedaemone ars scenica atque histrionica. Ceterum quod Philologia nostra eorum regum tempore sic iacuit, culpa fortasse nonnulla fuit ipsorum.

13. Musaeum exstruendum.

Quid ni enim, Here, id non haesitanter faceremus, qui et voluntatem tuam expromptam, et facultates nulli non volun-

tati pares esse sciremus ? Sed enim quid tua efficere auctoritas benignitate coniuncta possit, si Musaeum exstruendum (ut exspectamus) curarit et mandarit, annuisque congruis et menstruis fundarit ac stabilierit, inde aestimari potest. Etenim quasi illa pollicitatione nobili atque etiam omnibus nota, utpote palam ac testato pronunciata, iterumque intervallo satis longo repetita, tesseram quandam vigiliarum studiosis hominibus dederis. Omnes iam fere ingenio felici ingenuaque voluntate nati, e veterno pristino incuriae ac socordiae excitati sunt, liberaliaque studia capessere, id est litteras bonas lautioresque, certatim institerunt gnaviterque colere. Quippe egregii tui propositi institutique magnifici obsides habent regios praelectores : quos famae tibi suffragio commendatos, specimenque sui ac doctrinae antea factitantes, stipendiis constitutis auctorandos mandasti, cum eos etiam coram verbis benigne singulos appellatos me spectante, cohortatus prius esses. Mandavi vero (inquit) a te commonefactus, quantopere iam flagrarent homines iis studiis litterarum, quae tu dicere mihi soles expolitionem esse humani intellectus, quasique corruptae humanitatis elaboratam quandam reconcinnationem. Et vero tu eadem hac de re mecum saepe egisti, cum velut deprecandae offensionis gratia diceres, te conventus Philologici actorem designatum omnium suffragiis, id a me contendere. Quod nolim (ut dixi) existimetur mihi molestum esse, ne iniucundum quidem, velimque te huius mihi, quasi aeris alieni e rationibus meis honorariis expungendi, assiduum admonitorem esse : nec ideo deterreri si interdum aliud agam, hoc ipsum te agente. Vereor enim ne in usuras quoque appeller ab ipso musarum choro, quas debere me fortasse exitura iamiam die nonnulli arbitrabuntur, ut sunt iudicia imperitae rerum multitudinis. Equidem, Here, etsi dimitti flagitatores istos Philologiae nomine exopto et percupio, quorum verbis necesse est ut saepe te admoneam, et velut iam morantis munificentiae interpellem, tamen usurarum nomine repromittam neminem aequum et bonum quidquam a te petiturum, quamdiu praelectores supradicti, aut eorum similes

annuis honorariis ornati et allecti, publice profitebuntur. Sit modo hoc semel ac satis nobis cautum, ne qui sub Palladis signis merent, unquam centurientur expunctis (ut Plautus inquit) in manipulis. Nam cum inter optima nomina illam maiestatis tuae pollicitationem habeamus, quid est quod magnopere angamur, quoad hoc quali interusurium pensitabitur, unde spem exspectantium interim alere et sustentare possimus, quamlibet id aventem.

14. Camoenarum in Francia aedes.

Hac enim animi proclivitate ad litteras bonas fovendas, quam haud ita pridem et prae te ferre coepisti et verbis expromere, litteris etiam Graecis civitatem (ut ita loquar) in Francia tua dedisti. Tametsi civitatem dico in Francia? immo vero in regiam tuam aditum hospitalem festivum et plausibilem. Nam quod Philologiae nostrae rivales nobiles iam non paucos habemus, nonnullosque domesticos tuos, et circum pedes famulos : ne id quidem modo, sed proceres et puberes honorarios, et pueros discophoros, litteris Graecis imbutos : (quod inter huius temporis paradoxa praecipue numerandum duxerim) nihil aliud caussae est, quam quod cordi tibi esse cultiores litteras iamdiu innotuit. Quare simul ut a curis antiquioribus feriatam mentem habueris, ad instruendamque illam perpoliendae humanitatis officinam animum applicueris, magnum utique atque memorabile operae precium protinus, aeternumque feceris. Quantum enim divi iam immortales, quam amplum, quam ad memoriam tui principatus memorabile futurum esse censes, Paediae illius olim celeberrimae, cum Romanae, tum Graecae, diversorium, domicilium, sedes denique ac tabulas in patriam deportasse aut adscivisse? Quale porro additamentum, quantumque huic urbi florentis quondam Romae nunc propemodum aemulae, fore existimandum : in quam tute longo intervallo larem regium retulisti destinatione animi, si Camoenarum aedes ipsi pro ornamento insignique accesse-

rit? Equidem ipse dignam caussam esse arbitror, quamobrem substruendis fundamentis, regia tua maiestas insignibus regiis gestaminibusque ornata, primigenium lapidem iacere non gravetur, cum ipse in forma operis eius arbitranda, architecti prius munere perfunctus sis. Hunc enim diem posteritas, quasi natalem palingenesiae litterarum ingenti studio colet et celebrabit. Ne eum quidem modo, sed etiam ipsius quinquatria et octatria. Neque vero si in hoc esse tui similis perseveraris, satis esse arbitrabere, rei tam memorabili insignique futurae, tum titulum atque auctoritatem regiam impertire, tum sumptus suppeditatorem benignum esse : nisi operis quoque totius amplitudinem, descriptionem, rationemque architectatus fueris, (quod in multis operibus egregiis fecisse te novimus) et veluti primam manum operi, summamque accommodaris. Regiae certe magnificentiae est, et tuae animi magnitudinis atque providentiae huiusmodi mausoleum extruere, omnibusque partibus absolutum in regium modum reddere, in quo vivus (ut aiunt) et videns nominis tui atque animi memoriam incisam esse noris, perpetuumque manibus tuis monumentum futurum. Dignum certe prorsus opus, per (inquam) opus dignum, quod a te ipso inchoetur, Here, simul atque vacabit, accurateque et ample absolvatur : non quod haeredi mandetur absolvendum. Cuius tu exactor ipse sis, non mandator. Quod tuis non tantum auspiciis, sed arbitratu tuo fiat. Denique quod tibi superstiti Philologia, non manibus tuis tantum et memoriae, supremisque mandatis debeat. Cuius tu magnificentiae recordatione atque conscientia diu superstes senexque perfruare. Nam ubi tandem potius nomini tuo, atque honorificentius parentari te adhuc hic agente, ubi te fato perfuncto animae tuae sanctius venia Dei exposci et religiosius, quam in eo loco poterit, qui omnium gentium convenis frequentabitur, beneficio tuo obstrictis? Id certe nominis tui monumentum, tanquam loco semper vernante situm, indies efflorescet. Nam cum illic Francia seminarium habitura sit elegantium hominum, doctrinaque iusta et multiplici expolitorum, quod ex tuo instituto custodibus publice

praepositis, diligenti et exquisita scholarum disciplina coletur, nimirum ex eo velut alveario Atticae et Romanae eloquentiae, examina (ut ita dicam) iuvenum quotannis, omneis in partes nobilissimi tui regni dilapsura sunt, quae gloriam et decus pulcherrimi instituti ubique illustrabunt gentium.

15. Honores Civiles.

Cum litterae vere Latinae annos plus mille intermortuae fuissent, Graecae etiam conclamatae citra mare Ionium, et tanquam funere elatae ac conditae. Iam diu tamen in Italia, regione litteris semper hospitalissima, redivivam auctoritatem ac splendorem utraeque habere coeperunt. Cum interim Alpes mulis etiam clitellariis pervias, armillatisque tabellariis cursu diurno ac nocturno superabiles, litterae ipsae bonae transire aut nequiverint, aut respuerint, ut quidem ad nos accederent : quasi commercio nobis earum adempto, aut nostro illis interdicto, quoad tandem tuo appetente principatu, ipsas pedetentim quasique sese dissimulanteis, Philologia mihi primo nostratium, et (quod equidem norim) uni diu, vere familiaris, ingenti contentione accitas, aegreque evocatas, ea hospitalitate prosecuta est, ut iam ipsae diversari in Francia non nollent : quanquam vel unum praeter me, aeque eo nomine nobilem, dare cognitorem nondum poterant. Nuper vero ex quo favor tuus ipsis non obscurus accessit, non modo apud nos tuosque omneis passim peregrinari, sed etiam ad nos immigrare prorsus constituerunt. Quod sine captione aliarum gentium factum esse non nescius sum. In omnibus enim provinciis, in quibus incolis illis esse contigit, liberaliter, comiter, benigne atque ambitiose, aemula contentione acceptae sunt. Proinde ipsa Philologia earum nobis conciliatrix, ut dixi, atque proxenetria, semetipsam et litteras utriusque linguae veras, puras, et germanas, ad fidem tuam liberalitatemque consert, ut eis in Franciam tanto ex intervallo redeuntibus,

iustum esse primum iubeas postliminium : deinde ad tribunalia, ad subsellia, et aiunt, stragulaque liliata, ad collegia honestiora, ad amplissimos ordines, aditum eis pandas, ibique sessum mandes admittendas : quibus in ipsis olim litteras ipsas bonas clara sui documenta dedisse, antiqua monumenta testantur .Priscarum enim litterarum splendori, caligini multa ignorantiae privatim ac publice offusa, homines vere litterati in scenam reipublicae, atque in solem, ut dicitur, et pulverem forensem non prodire, non in gradibus sedere, non in orchestra videri, ut homines sine re, sine lare soliti sunt : ob idque nullo loco numeroque haberi : certe quidem ut nihili notae in abaco arithmetico, loca tantum lacunosa inaniaque occupare. Litteris igitur conversione temporum tuaque commendatione in lucem atque in publicum, ex umbratili studio ac labore domestico exeuntibus, in classes utique litterati viri iam permulti, in primasque centurias equitum et patritiorum pro cuiusque captu referendi sunt. Regiae porro vocis favorisque praerogativam, cum omnes tribus principum, procerum, patritiorum, atque omnium ordines ducentium, protinus secuturae sint, nullum maius operae pretium, Here, facere maiestas tua potest, quam si et rebus, (ut facis) et verbis, luculentas significationes dederis quam tibi ex animi sententia sit litterarum bonarum illustratio : si mactos esse virtute, studioque pertinaci et constanti, aliquot eorum iusseris, qui rei amplifiandae curam, ambitionisque studium, litterarum peritiae id circo post habenda duxerunt, quod lucripetas homines atque ambitus asseclas, Philologia e familia sua summovere ut spurios nothosque solita est. Id bonum et aequum esse, id bonis moribus convenire, idem e rei Francicae existimatione, regiaeque benignitatis illustratione futurum, nemo non arbitrabitur litteris non iniquus. Ita quod bona pace tuae maiestatis, Here, dixisse mihi liceat, non video prorsus, quo in obice aqua nostri sermonis haereat, quod tu in altero sermone nostro suspicari videbare. Neque enim iam ut antehac, clitellae bubus impositae videbuntur, cum honores vel civiles, vel praetoriani, litte-

rarum studiosis mandabuntur, quasi asininis tantum tergis, quod ad litteras bonas attinet, instrata huiuscemodi sedeant. Nisi vero litterarum splendor, decus humanitatis, index et prolator ingeniorum in umbra atque in tenebris exhedrarum conspici et eminere potest : in luce et in sole non potest. Neque tu, Here, qua ingenii bonitate natus es, dixeris sic homines studiosos et litteratos, in instituto vitae tenebricosae, splendida fama esse, ut caudices quidam putres et aridi, noctu demum fulgent, aut nitedulae volitantes postquam contenebravit : aut si quaedam sunt alia eiusdem modi quorum splendor evanidus in luce exolescat. Mihi vero litterati homines gravissimorum celebritate illustrari posse videntur, ut carbunculi, ceteraeque ardentes sua vi gemmae, ad solem flagrare solent : et oratores tum maxime diserti et eloquentes siunt, cum maximam et honestissimam coronam sibi circumfusam esse sentiunt. Neque enim aeque doctrina facunda esse potest in toga et in purpura, neque tam in plano quam e loco superiore, qui cum ipsa audientiam liberam unicuique largitur, tum fiduciam facit auctoritate subnixam, hucque pertinere puto antiquum proverbium, Magistratus virum ostendet.

16. Minerva patricia et plebeia.

Ceterum tantum esse dissidium hoc tempore non puto inter Minervam Philologiae nostrae numen, et illam quae intra cancellos et fori et curiae, sanctius quam par erat, et superstitiosius, multis iam aetatibus culta est, ut aliquatenus inter se conciliari nequeant. Fuit ea tanta perdiu dissensio, nunc, ut nihil non dies affert, societatem illae quidem coire, ceterum non omnium facultatum, non aegre, ut spero, persuaderi poterunt : et vero si auctoritatem regiae maiestatis interponere non gravabere, etiam facillime. Profecto, inquit, interventor rei bonae, clarae et probabilis is futurus est, cui agglutinatori ipsi contigerit esse et dictatorem elegantis doctrinae atque sermonis, cum iurisprudentia

forensibusque muniis. Et quidem libenter ad eam rem perficiendam operam navaverim, si fieri posse comperero non aegerrime, nedum auctoritatem meam auspiciaque regia accommodarim. Vide vero, Budaee, vide inquam etiam etiamque, rem ut satis consideraris, nec intercessores huius coeundae societatis confestim duos, eosque pervicaces habiturus sis : hunc nodum nisi solveris, id quod agis nunquam expedieris. Quid si, inquam, Here, tragoedia in comoediam incurrere, et haec in illam interdum sine offensa potest, quod Horatius auctor est? desperare debemus patriciam et equestrem Minervam, cum plebeia atque officinaria, in loco, interdumque posse non dissidere? Sed fac esse difficillimum, potestne quidquam quod bonum, aequum et honestum sit, non pronis bonorum animis, regiae auctoritati, non secundis classicorum voluntatibus, iudicio tuo et sanctioni cedere? atqui digna res, Here, mihi esse videtur, quam propter et fidem tuam ipsi et manum implorare debeamus et impetrare : ut Alexandri magni exemplo, si ita res tulerit, gladio imperii abscindas, quod a nobis enodari ratiocinando non potuit. Sed enim quam facile non dico imperio exprimere principali, sed aequis efficere plurimorum animis possis, eruditior ut illa ornataque Minerva ius dicendae sententiae in curiis habeat, et vero populariter ipsa, secundisque auribus plurimorum atque animis, censeat, inde intelligere possumus. Fuit ex quo certissime res huiuscemodi memini, atque adeo fuit adhuc iam te Rege, cum politior haec eruditio sermonisque lautitia, ingrediendi fori, et repaguli curiae superandi, prorsus insolens et videretur et esset, et si quando quis paulo liberalius institutus (quod tam rarum erat quam Alcyonem videre) rogatus sententiam, quidpiam censendo protulisset doctrinae melioris et elegantis, universi statim ut confessus obtutu ille obrueretur, quasi quid designasset et admisisset reclamatione dignum, adeo trita et duriuscula fronte opus erat, qui quidquam huiuscemodi in medium cum fiducia afferret. Mihi vero ex quo et in curia urbana, et in hac tui comitatus assecla, et in omnibus curiis, ius dicendae honestissimo

loco sententiae, beneficio tuo consecutus sum, ita fere comparata censendi ratio fuit. In tirocinio magistratus huius iniți, morem aliorum cum aliquo temperamento sequebar. Postea quasi pedetentim et vercunde Philologiae meae ornamentorum nescio quid, mecum in iudicium ferre, cum praetexta, ut ita dicam, et insignibus institui. Id cum ego iure meo facere aequissimo cuique viderer, quod notum omnibus erat quo ex loco, quoque nomine a tua maiestate in eum ordinem traductus essem : primo non ingratum, deinde satis populare esse coepit, id adeo, ut dimisio nonnunquam consilio a quibusdam aequiorum revocarer, tanquam acroama quod placuisset. Quod quoniam accidebat, cum quaedam quasi sententiae condimenta spargerem quae reconditae apud collegia doctrinae, atque foro inauditae, instar quoddam habebant, ea ut sorberi potius autibus, quam regustari ab aliquibus possent, coepi haec verecundius deinde usurpare. Sed quia rursus interdum, cum loquendo incaluimus, difficile est et scitum et appositum verbum tenere, quod etiam non meditatis interdum inter buccas sese offert, mihi nonnulla et musis, ut ille olim Antigenida, canenda esse statuebam. In deliberationibus aliquando insignioribus (non semel enim neque iterum tantum hoc genus quaestionum, tempore meo in curia centenaria extitit) ita evenire memini. Qui a Minerva Attica et Romana sententias mutuari verbaque ausus erat in sententia dicenda : is si scite, et ad caussam tempusque non inepte id facere videretur, et ex aere idem suo illa non ex alieno proferre, ipse ita fere audiebatur, quasi personae olim adventitiae, aut eiusmodi acroamata, quae aut miraculi aut hilaritatis gratia in medium interdum prodeuntia, videmus specimen sui plausibiliter facere. Graeci ἐπεισόδια vocant. Nunc eousque profectum est et in toga et in praetexta, (ut omnia fere usu evalescunt, etiam concessu multitudinis) certatim ut quisque iuniorum praesertim, velut in ludo nitidiore versatus et institutus, lepores sermonis, sententiarum priscarum auctoritatem, figurarum troporumque gratias, denique sententiae expromendae concinni-

tates, controversiarumque exponendarum, aucupetur atque venditer. Adeo Philologiae nostrae supellex, res suapte natura iucunda et gratiosa, omnibus probare sese iam coepit, colendamque praebere, quibus se cunque vel tantulum indulsit. Simul enim (ut Ciceronis verbis utar) aspecta et probata est, ut Minerva quondam Phidiae.

17. Opportuna litterarum restitutio.

Et sunt fatales quaedam temporum rerumque vicissitudines, quae res, quamlibet arduas, confestim planas reddunt, versanteque se occasionum cardine, deinceps magis ac magis pronas. Nam litterarum restitutio atque cultus, nescias proclivioribusne satis, an animis cesserit, postquam eo homines incumbere bona fide cœperunt. Francia vero tua earum illustrationem non multorum annorum felicitati debet, ingeniorum fertili : et tuae benignitati, qui earum studium partim elogii prolixi et frequentis suffragiis, partim liberalitatis adminiculis sustentare instituisti. At quam opportune ? quam in articulo, ut dicitur, id facere divinitus in mentem tibi venit ? cum quidam homines factiosi, litterarum Graecarum nomen apertis coitionibus circumvenire, decuriatis et allegatis declamitatoribus obterere, decretis inconsultis praecipitibus et crebris pessumdare conniterentur, ad extremumque proscribere. Nunc vero exsibilata a pueris eorum temeritate et audacia, ob libros maxime Graecos tabernae et officinae bibliopolarum visuntur et frequentantur, ludi scholastici conventusque studiosorum, vocibus praelegentium Graecorum scripta personant. Idque adeo evaluit ac in dies evalescit, luculentaque incrementa accipit, altero ut crure, ut ita loquar, calobatae ii existimentur hodie, qui ad illum saepe dictum orbem disciplinarum circumeundum, libris in Linguam Latinam versis utuntur pro autographis ipsis Graecorum. Huiusmodi temporum opinionumque conversio in tuum principatum, Here, incurrit, tuisque auxpiciis brevi, ut speramus, futurum est antiquaria

ut illa manus, columen factionis misiologicae, supercilio tantum amictuque censorio venerabilis, stare iam in theatro secundis admurmurationibus nequeat : cum omnes, ut dixi, centuriae haud cunctanter secuturae sint regiae proclivitatis elogiique tui non obscuri gravem et plenam auctoritatis praerogativam. Iam vero Attica illa paedia, quae mihi iam pene viro morose admodum sese et fastidiose indulsit : tametsi ambitu gnavo ac strenuo fidem eius imploranti (amore enim ipsius insano correptus perdius, ut dicitur, et pernox limen eius occentabam) nunc adolescentulis, ac pueris passim morigera est. Adeò tam nihil ferum est, quin tractando discat mansuescere. Feramne igitur tute tandem, inquit, doctrinam Graecam appellas Budaee, et tibi fuisse dicis adeo intractabilem ? quam mihi saepe commendando, ceream esse aiebas, vitilique quadam lentitia flexibilem, ductili etiam facilitate stili scriptitantibus mire obsecundantem. Enim vero, Here, inquam, id verbum, ut sit, temere mihi ore excidit, contra quam animi mei sensus ferebat, feram ut eam linguam dixerim : cum Graeco sermone nihil lenius esse sentiam et sequacius : Atticum eo amplius, suavem supra mel hymettium semper esse duxerim, et tropis ac figuris lectori scriptorique mire lenocinantem. Verum infantia, ut sic dicam, eruditionis meae, qualis illa fuit cunque, et ipsa discendi incunabula, in id tempus inciderunt, cum ipsa lingua Graeca vix prodere nomen suum auderet, nedum mihi sese credere homini ex memetipso nato, et qui cognitorem vix ullum ei dare possem.

18. Praemia virtuti proponenda.

Atvero in posterum fore non paucos in Gallia vel eloquentes, vel (si religiosius loqui placet) disertos, sperandum est, si litterarum splendori luculenter augescenti, liberalitatis tuae modulos aliquot impertire in animum induxeris, ex iis etiam qui e copiis exundantibus manant, et plerumque redundantibus. Id quod utique facturus es, si non primo

quoque tempore : tum quidem certe cum plane intelligere coeperis, unus homo quid quamplurimis quaque praestet ratione. Id tamen ut me superstite facere velis, id est sine cunctatione, oro te, Here, obsecro, atque obtestor, per illam quae te manet cum alias, tum e musaeo per te (ut speramus) peragendo, gloriam propriam et perpetuam. Cuius postulationis exordium fecisse me (ut reor) meministi, in Commentariorum praefatione, quos in linguam Graecam nuper edebam nomini tuo dicandos. Disciplinae autem liberales, humanae quoque ideo appellantur, quia mores hominum excellentius aliis expolire merito existimantur. At ex illis existunt decor, dignitas et maiestas in specie reipublicae, quae regum gentiumque nomen et gloriam illustrant, et memoriae commendant in perpetuum : quo honorificentius nihil esse, nihil magis expetendum in rebus humanis potest. Thucydides, Herodotus, Plato, Aristoteles, Isocrates, Xenophon, Demosthenes, alii permulti, Graecorum memoriam ad hunc diem, Atheniensiumque imperii effigiem, luculentis monumentis expressam eminentemque reliquerunt : quae nulla unquam carie situque vetustatis obliterari poterunt, aut aliquatenus exolescere. Romanorum res gestas Livius, Polybius, Appianus, Plutarchus, aliique prodiderunt, quasi rerum gerendarum potiundarumque illustria exemplaria. Quorum omnium eloquentia, rebus suapte dignitate claris splendorem insuper addidit, illustremque commemorationis fidem atque auctoritatem. At vero Gallicarum historiarum scriptores, de quibus nonnihil supra dictum est, res ipsas quolibet modo posteritati, non item earum claritatem mandare potuerunt, nisi forte caligine foeda dictionis obductam et involutam. Multa vero praeclare et egregie gesta et instituta a Francis, silentio sepulta ob scriptorum inopiam, memoriae hominum exempta sunt in aevum. Cum igitur litteras vitae restitutas postliminio aetatis nostrae videamus, cum nihil iam hoc tempus ad numeros ultimos scribendi facultatis, praeter regum et principum hominum opitulationem desideret, quid iam vetat nos sperare Demosthenes, Platones, Thucydides, Tullios,

Livios, eiusdemque notae scriptorum et supparis, mox in medium proditurus, non imitatores tantum illorum antiquorum, sed etiam aemulos ? Sint modo praemia sua virtuti proposita, honestissimisque studiis. Fiat tua benignitate, ut et laboris in litteris impensi, et exhaustarum corporis virium et facultatum, constet ratio animis ingenuis, ut olim constitisse legimus et novimus, continuo futurum spondebimus ut prisca litterarum claritas in Francia rediviva videatur. Cuius exoleta iam vestigia, cum avorum nostrorum aetate reperta sint, tametsi deinceps magnopere profectum est ad situm squalloremque eorum excutiendum : ultima tamen aerumna huic tempori destinata est, ut mea fert opinio, ad consummandam fatalem apocatastasim antiquae sapientiae. Tanta enim sunt hominum studia, tam fecunda est haec aetas ingeniorum, tanta felicitas propagationis voluminum in utraque lingua, nihil ut desideremus praeter certam spem emeritorum. Nam quis artes, quis studia, denique quis virtutem amplectitur ipsam, praemia si tollas ? Quanquam non mercedem contritae aetatis florentissimam poscimus, quae rependi ne auro quidem et gemmis potest : sed honorarium huic facultati petimus, quod negari certe nisi summa iniquitate nequit. Quid vero fieri hoc tempore desperemus, quod olim factum fuerit ? etenim quid memoria nostra et parentum non inventum est, quid non editum et proditum, ad vitam iuvandam et ornandam, aut ex antiquitate relatum ? Quod utinam ad vitam commodius agendam atque elegantius, non etiam ad onerandam luxu et delitiis ac pene obruendam multa naturae et artibus inventio actuosa extudisset et excudisset, adeo haec aetas non modo res priscas, desitas et deploratas, vitae restituisse, sed et artibus et naturae ultimas operum notas videtur excussisse.

19. Cum antiquis certandum.

De hac re vero tecum Budaee (Rex inquit) si ex animi sententia loqueris, dissentio. Divinam enim providentiam

rerum huiuscemodi architectam sic cum mortalibus agere reor, ut naturae et arti suis fabris atque opificibus, una et eodem incumbentibus, per singula ferme secula, aliquid novi designandum praescribat et imperet, quasi quo et aetates ipsae insigniantur, et vita uberius instruatur velut in dies, sic in aetates. Sed quaedam sunt fatalia tum naturae tum artis operum veluti diluvia, quibus res inventae interdum usui hominum commercioque auferuntur, cum interim aliae quaedam existant, quae ordine fatali adhuc in imo erant naturae arcanorum. Recentia autem secula res inauditas pepererunt, et quas antiquitas quamlibet ingeniosa, nunquam (ut opinor) suspicata est, ut machinas belli igniarias, inauditamque illam antiquis officinam stygii Mulciberi, strenuae virtutis internecionem, et Martis ingenii deletricem, tam malefice fere aperta vi in mortales grassantem, quam ars venefica, in eosdem artificio caeco et improviso : idcircoque capitaliore grassatur, et saeviore. Contra autem aetates recentiores artem librariorum formulariam ediderunt : validum, ut mihi videtur, adminiculum ad exsuscitandum et erigendum litterarum vestrarum nomen : quod tam diu iacuit ut exanimum et emortuum. Multa etiam et alia, in utramque partem valitura adhuc in altis naturae cryptis condita esse censeo, quae suo quaeque seculo in lucem depromenda sint. Nec vero omnia, quae diluviis illis rerum obruta fuerunt, adhuc emersa videmus, aut quadantenus existentia : etiamsi aetas nostra omnem (ut aiunt) lapidem movet, nihilque non audet ipsa, moliturque ad submersa tollenda et eruenda. Nae Here (inquam) perpauca ac fortasse etiam nihil iam desiderare vita videtur, quo fiat instructior, si modo litterae bonae ultimam manum restitutionis utraque lingua acceperint : quod in tua maxime benignitate situm est ut ante mihi satis dixisse ac docuisse videor. Quo autem fiat sanctior, quo moratior, quo ex dignitate Christiani nominis compositior et candidior, non modo non nihil, atque etiam nihil non propemodum, desiderare : sed poscere indies magis, et vero flagitare voce oraculari videtur et prophetica, adeo vel natura vel providentia ita comparatum

est, nulla ut aetas undique beata sit. Verum enimvero ne sermo gliscens longius nos, Here, ab instituto abducat, eo unde digressus eram redibo, nec dubitabo dicere, posse antiquam quam vocant sapientiam, ad mores humanitate condiendos et perpoliendos, iusto pene postliminio intra aetatem unam restitui, quod plurimum sit : nisi res pulchre nunc cedens aut aliquo casu incommodo (quod Deus omen avertat) aut hominum culpa haereat. Pene autem Budaee (Rex inquit) etiam in posterum? penitus (ut opinor) dicere voluisti. Id vero, Here, si dicere iterum et ad extremum sustinuerim, vereor ut tueri aequis doctissimorum animis possim, qui religione et cultu antiquae sapientiae perimbuti sunt. Et nunc demum ipsi ad limatam veritatem et exactam loquimur. Et aetas enim nostra, et omnis (ut opinor) posteritas, non invita semper factura est, priscis ut eloquentem, nobis ut disertam eruditionem tribuat : inter quas intercedere Crassus orator summus, intervallum magnum putabat. Id adeo, ut fasces (ut ita loquar) doctrinae, maiorum illis gentium patriciis, Romanis ac Graecis scriptoribus submittat, felicioribus utique auspiciis ac maioribus Philologiae sacris initiatis praeterquam sapientiae ipsius externae atque eloquentiae conditoribus. Immo vero (Rex inquit) cum Palladem vos perhibeatis armorum iuxta disciplinarumque praesidem ab antiquis esse habitam : si huius temporis res bellicae sunt antiquis instructiores, ad vimque oppugnandi et propugnandi multo apparatiores, cur in litterarum exercitamentis desperandum est, huius et posteriorum aetatum ingenia, si paullo magis advigilarint, cum antiquis certare ex aequo posse?

20. Subsidia vitae expectantur.

Proinde qui primus regum in animum induxerit ex Minervae comitatu, qui iam ubique numerosus est, nonnullos in selectum consilium accersere, in curias allegere, in decuriam denique cubicularem asciscere, et cohortem iuratiorem :

praeclarum utique ille exemplum aequalibus posterisque prodiderit, atque commemorandum. Nihil enim ad posteritatis memoriam commendabilius, nihil splendidius esse potest et praedicabilius, quam Palladi eidemque Minervae, arcium olim et regiarum, curiarum et senatuum praesidi et principi, tot annorum situm, squallorem, sordesque excussisse, eandem ex umbratilibus illis textrinis et studiorum obscuritate, ad condiciones vitae illustres, solemque comitatus regii ascivisse. Denique ipsi, prisca honorum insignia, magistratuumque fasces ademptos, tanto intervallo reposuisse decus erit eximium, historiae imprimis festivum et celebrandum. A te autem, Here, eo amplius hoc exspectatur à multis, et fortasse ab omnibus : ut iis qui illustrandis litteris aut explanandis aetatem addixerint procul a curiis atque tribunalibus, subsidia vitae posita in beneficentia tua velis, quibus utique ipsis, ut si cuiquam hominum nationi, in Franciae prytaneo alimenta debentur. Quippe literarum restituendarum illuminandarumque principes in unaquaque provincia, quasi quidam Hercules sunt et victores sacrorum certaminum, quae certamina hodierno tempore magnopere ubique celebrantur, hique non minus suas patrias quam seipsos coronant, ut olim athletae coronare solebant, quod Plinius prodidit, et illis ea mens est, ut et facultates et robur corporis, et spiritus omneis effundant et exhauriant in levando labore aequalium et posterorum, civium iuxta et externorum. Hoc certe Franciae tuae, hoc memoriae tui principatus, litterarum in Francia interpolatoris et propemodum parentis : hoc denique debes Here, hominum de te exspectationi amplae et magnificae. Et quoniam tu tanti nominis esse me exactorem non noluisti (ut nihil amplius dicam) et me iuris sui cognitorem litterae bonae atque etiam optimae, actorem quoque suum eundemque defensorem esse voluerunt : libentius nihil facio, nihil promptius cum occasio se dedit, quam ea ut de re te plane appellem, quam tibi cordi satis esse novi, et e re atque existimatione tua futurum esse scio. In cuius rei eventum cum magni voti reus sim, eiusdem ipse damnari percupio antequam e vita excedo. Cum

enim aquam (ut dicitur) et ignem communia cum amoribus meis hactenus habuerim semper, ex quo amare coepi : utique extremum vitae actum pro ipsis devovere, si ita res tulerit, non dubitarim. Nunc autem ego maxime eam devotionem commissam esse laetarer, quando vivus adhuc et videns convincerer tanti voti. Quod utinam Deus divique faciant, ut non frustra adhuc exspectem : dum prima et recta (ut inquit ille) senectus. Dum superest Lachesi, quod torqueat : et pedibus me porto meis, nullo dextram subeunte bacillo. Ipse medius fidius, ut Pelias ille quondam, ad aliquot annos (ut opinor) recoctus esse non recusarem iisdem studiis amoribusque colendis : si eum honorem ipsis habitum hisce oculis cernere puris adhuc et nudis possem. Capitalem enim illam carnificemque gravedinem, quae mihi annos fere duo detriginta infestior fuit commentanti, quam cani cynomyia in sole dormienti, vel provocare iam possem. Hic cum loquendi finem fecissem, sermonis vicem Rex excipiens ; Atqui, inquit, Budaee, tibi intus hanc cantilenam raro, universis rivalibus saepe canere ipse soles, mihi vero eam rem curae fore iterum iterumque promisi, omnemque mihi ansam exceptionis ademi praeterquam temporariae, quam iura et instituta moribus nostris recepta, ut privatis, sic regibus et augustis indulgent aequa conditione, neque enim si non quatenus, non etiam quando commode facere possum, appellari pollicitationis debeo : Proinde iubeo te paulisper, ac si qui sunt alii tibi, ut stipulandi, sic vovendi, correi (ut esse permultos non dubito, et certo scio, cum plurimi iam sint, ut audio, amorum tibi aemuli). Interea igitur dum tantae exspectationis rem ipsi architectamur, cuius nondum fundamenta iacere nobis vacavit. Et simul haec dicens : cum ad strepitum ingredientis undae procerum clientiumque eorum, respexisset : sermone protinus interciso e sella hilaris exsurrexit.

IOANNES LUDOVICUS VIVES (1492-1540)

(21-38 : Iohannis Ludovici Vivis de Causis Corruptarum Artium libri VII, 1531.
39-40 : Ioannis Ludovici Vivis Valentini de Tradendis Disciplinis libri V, 1531).

21. Quot sunt liberales artes ?

Galenus medicus hac utitur sectione artium, ut *alias dicat contemptibiles vilesque, quae corporis laboribus et manibus exercentur, quas* Graeci χειρουργικὰς vocarunt : *alias honestas et homine libero dignas,* de quo genere primam facit Medicinam ; hoc condonandum amori professionis, et tanquam pietati in nutricem bene meritam. Addit Rhetoricam, Musicam, Geometriam, Astronomiam, Arithmeticam, Dialecticam, Grammaticam, Legum prudentiam. Nec repugnat, si quis velit huic numero adscribere eas, quas fingimus pingimusque. Quod hae, tametsi citra manuum operam non obeantur ; tamen non videntur egere robore illo, et lacertis iuvenilibus. Seneca vero non adducitur ut in numerum liberalium artium *pictorem* recipiat, non magis quam statuarios, aut marmorarios, aut caeteros luxuriae ministros. Æque luctatores, et totam oleo ac luto constantem scientiam expellit : quod ei convenit cum Galeno. Nec liberalia studia sunt, sententia Senecae, exercitationes rei militaris. Venationem quoque a liberalibus Salustius excludit. Possidonius Stoicus artes hunc in modum partiebatur : ut alias vulgares et sordidas nominaret, quae manu constarent, et essent ad instruendam vitam occupatae, expertes decori atque honesti, alias ludicras, quae ad voluptatem tenderent oculorum atque aurium. Pueriles sunt, aliquid habentes liberalibus

similes, quas ἐλενθερίας Graeci vocant, quae non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. Liberales vero immo (ut inquit) solae liberae sunt, quibus est curae virtus. Recepta opinio est septem esse liberales artes : Tres de sermone ; Grammaticam, Dialecticam (quae eadem est Logica) Rhetoricam ; Quatuor de quantitate ; Geometriam Arithmeticam, Musicam, Astronomiam, quas Mathematicas nuncupat Graeci, ceu quis dicat disciplinales. Has ingenuas cognominarunt, quasi has solas ingenui discerent, ac exercerent. Nemo enim fere in liberis civitatibus ingenuus, manuariis artibus operam accommodabat. Sed puer hisce erat artibus deditus, iuvenes vero, militiae, campo, gymnasio : aut publicis negotiis, administrandae reipublicae, causis actitandis, et eiusmodi exercitamentis, quae sola censebant illi digna homine libero. Unde illud in comoedia ; *Fac periculum in literis, fac in palaestra, in musicis, quae liberum scire aequum est.* Illae enim artes maxime existimabantur ingenuis hominibus ad vitae cultum, et ad rempublicam gerendam congruere : ut sermo esset emendatus et purus ; tum ratio disserendi cum facundia esset in promptu, quis in foro, quis in senatu, et cum populo agerent. Tum ad privata negotia, Arithmetica, ad agriculturam et navigationem Astrologia, ad mensuras agrorum, Geometria, postremo et honesta oblectamenta, Musica, quae apud Graecos maximo in pretio fuit. Romani non perinde eam coluerunt, homines magis militares et rusticanae simplicitatis. Discebant quoque pueri simul cum literis, natare, quod Graeco proverbio declaratur quod in imperitum penitus iaci est solitum, *neque literas eum nosse neque natare :* idem est et Romae factitatum. Sed miror praetermissas ab illis Architecturam et Perspectivam ad multa utilem : nisi has sub ambitu Geometriae concluserunt, aut quod Architectura manus exerceret, quamvis rara omnino ars, et quam paucissimi tenerent in Graecia, sicut Plato quodam in loco testatur. Porro nemo miretur nullam esse de morali philosophia mentionem : tam quod, illorum iudicio quaerenda pecunia primum est, et protinus ad censum de moribus ulti-

ma fiet quaestio ; quam quod, ut recte Possidonius apud Senecam definivit, *Artes hae quae liberales nuncupantur, pueriles sunt ; rudimenta nostra, non opera.* In nostris scholis haec quoque fundamenta sunt trium aedificiorum Medicinae, Theologiae, et peritiae Iuris, quas supremas artes disciplinasque nominamus, et usui quotidiano cum primis serviunt. Philosophiam moralem adiunximus, quae multum Theologiae adminiculatur, et ex qua ius esse ortum existimant sacrum et prophanum. Tum cognitionem naturae rerum ; sine qua medicina manca est prorsum, nec rite aut percipi potest aut teneri. Atque haec velut collegiis, sunt distincta ; ut unum esset septem illarum liberalium artium, quibus annumeratur Philosophia quae est de moribus, quaeque de natura ; alterum Medicinae, tertium Civilis Iuris, quartum Pontificii, quintum et supremum Theologiae. In his militiae quaedam et ascensus ad fastigium dignitatis per certos honorum gradus.

22. *Cur excultae fuerunt artes ?*

Acre ingenium, et usui aptum, naturae sunt munera : diligentia, vel necessitate urgetur, vel delectatione allicitur, vel admiratione magnitudinis et pulchritudinis rei capitur (quamvis in hoc quoque tacita inest delectatio postquam assequutus es causam tantae rei,) deinde de cupiditate aliqua excitatur decoris aut pecuniae, postremo perficiendi spe alitur et detinetur. Ergo, ut in quibusque gentibus haec viguerunt : ita ibi artes vel inventae sunt, vel auctae excultaeque. Graecia parens fuit disciplinarum omnium ; ingeniis foecunda acutis, subtilibus, vividis. In Ægypto permagnus Mathematicarum usus ; quas praemiis et honore afficiebat necessitas. Acutissime illud in hominum moribus ac natura deprehendit, qui dixit, *honore ali artes.* Excellere enim quisque cupit et honore affici : quare, ut id consequatur ei se tradit studio, quod in pretio esse videt. Ita fit, quam recte, non disputo : nec solum in magnis civitatibus, ac

populis : sed in quocunque coetu, in quacunque consuetudine et familiaritate hominum, virorum, foeminarum, senum, iuvenum. Sic eloquentia maxime in liberis civitatibus floruit, velut Athenis et Romae, quod is certissimus esset gradus ad maximos honores ac potentiam. In Academiis publicis, plerique alliciuntur illis honorum nominibus, tum iis quae magno aestimantur. Unde Lutetiae tanta Theologorum copia : Aureliae, Iurisconsultorum, apud Nitiobridges, quem nunc montem Pessulanum vocant, Medicorum. Et sub principibus, ut quisque est arte aliqua delectatus : ita ea in eius regno tractata est, et exculta. Sub Alexandro militabant plurimi. Sub Augusto, nemo non cudebat carmen. Neronis tempore multi per urbem cantores, histriones, phonasci, multi magi. Adrianus omnes faciebat observatores veterum scriptorum. Romae, Leone Pontifice, omnia perstrepebant cantibus ; Iulio, armis.

23. Linguae Latina et Graeca tenebris obrutae.

Ignoratis magnorum scriptorum linguis, quid nobis praeciperent, qua eundum, et quo suaderent, non intelleximus : veterum auctorum cognitionem, qui Graeca aut Latina lingua monimenta ingeniorum suorum consignassent ac posteris tradidissent, ademit prorsum nobis ignoratio harum linguarum, quae tanta bellorum continuatione prope exoleverunt, quum gentes illae quae Septentrionem incolunt, in Italiam sese et totum Occidentem essuderunt, Gotthi, Alani, Vandali, Suevi, Turuli, Hunni, Longobardi ; et postremi omnium ab Oriente, Agareni. Nam quum bellum literas simul cum bonis artibus ac pietate opprimit, quod inter bellicos furores non est virtuti nec honos ullus, nec locus : *Pellitur e medio Sapientia ; vi geritur res*, inquit Ennius. Tum gentes illae natura ferae, et ab omni penitus ingenii cultu alienae, primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt : conflagrarunt illis incendiis urbes, et regna, et scelerato illo atque impio igne magnorum quoque ingenio-

rum opera exusta sunt ; quibus auctores male praesagi vitam atque immortalitatem fuerant polliciti. Victores enim, ut de gallo est in fabulis, *margaritum quod non intelligebant, contempserunt.* Simul irrisae sunt ab eis linguae, ac studia omnia ; nec solum eis detractum est pretium, sed contumelia addita : seu quod nollent quemque in victis plus sapere, quam victorem, et ut quisque esset doctissimus, ita crassis illis hominibus inprimis erat suspectus, tanquam vafer et ad fraudes ac dolos maxime appositus, seu quod emolliri per haec veram virtutem opinarentur, ac minus bello idoneos reddi, cui omnia illi tum tribuebant, laudem, gloriam, decus, ex bello uno, veram, germanumque, etiam sempiternum oriri rati. Graeca lingua (divulso ab Occidente Graeciae imperio et commercio) excessit Italia, Gallia, Hispania, Germania. Hostes vero imperii Romani nec linguam quoque Romanam potuerunt ferre, quam et ipsi tum ignorarent, tum etiam odissent. Cogitasse ferunt, regem quendam Gotthorum ut Romam dirutam instauraret, et nominaret Gotthicam. Qui serviebant, et quidem dominis superbissimis ac crudelissimis, eum sermonem admiserunt, inque eo se exercuerunt, quo uti apud dominos possent. Ita sermoni, vere Latino ac pure, successit mixtus quidam ex Latino et peregrino. His linguis Latina et Graeca, vel amissis, vel magna ex parte tenebris obrutis necesse fuit, ut eadem quoque nox artes illas et disciplinas opprimeret, quae essent linguis illis traditae : occultatae significationes singulorum verborum, incognitae loquendi formulae ; et tamen qui haec nesciebant, volebant videri eos scriptores et quidem luculente intelligere, qui Latini sermonis fuerunt observantissimi. Quasi vero aliud sint libri, quam voces, et loquendi rationes ac formulae : quae qui intelligit, is demum assequitur scriptoris sententiam, non alius. An librum de Philosophia Hispane scriptum, probe intelliget Italus sermonis nostri ignarus, quamlibet vicinae sint hae duae linguae ?

24. Renascuntur linguae.

Nicholaus Leonicenus, Thomas Linacer, et alii, queruntur ignoratione Graecitatis multa esse a Plinio perperam a Graecis ad nos traducta. Idem Divus Hieronymus de septuaginta interpretibus ex Haebraeo in Graecum. Quid opus est exemplis veterum? Isti ipsi qui negant se de verbis esse sollicitos, quot locis hallucinantur ignoratione verborum? quoties est eis hariolandum? quam multum se torquent? Quam plausibiliter dixit Bartholus, *De verbis non curat Iurisconsultus?* De quibus ergo rebus movent tam multas quaestiones, nisi de verbis legis? quae si intellexissent, non ita passim depravassent leges stultissimis sensiculis. Dicat (exempli gratia) Iurisconsultus, Centesimis calendis dari utiliter stipulamur: non intelligas tu quid sit usura centesima, ego intelligam; an non melius sensum ego Iurisconsulti tenebam quam tu. Si res in colloquium inferrentur: faterer eum qui res cogcosceret melius intellecturum quibus de rebus ageretur: Sed, quum verba sola usurpentur, necesse est verborum significatus ac sensus optime teneat, qui exacte dicit intelligere se de quo differatur. Fortassis non tam id esset necessarium in Geometria, Arithmetica, Musica, Pictura: quia lineolis et notis quibusdam utuntur, oculos in rem praesentem ducunt. In aliis fieri nequit, quo minus verba intelligi sit necesse. Quocirca, quum verba magnorum scriptorum non intelligerentur: nec percipi sensa potuerunt; Unde omnia apud eos inversa, et illa eorum dictis sensa attributa, non quae quisque ex verbis colligeret, sed quae pro libito comminisceretur. Revertuntur tam longo postliminio Graeca et Latina lingua, seu renascuntur verius. Et tanto ex bono non exiguum coepit malum artibus nasci, unde tota erat salus speranda. Quot homines utriusque linguae peritia et cognitione instructi, quum ad legendos artium ac rerum scriptores accedunt, Platonem puta aut Aristotelem, aut Plinium, aut Hippocratem, aut Galenum, aut Pandectas iuris, aut novum, aut vetus instru-

mentum pietatis, et ex linguae imperitia lapsos nonnunquam vident interpretes, qui multum in illis artibus operae posuerunt ; quoniam ipsi peccatum deprehendunt linguarum ope ac beneficio, illico se peritiores esse in illis artibus opinantur, quam illi ipsi fuerint post tantam et tam diuturnam exercitationem : ergo illos contemnunt prae se, et vix primis gustatis rudimentis, ad scribendum de illis artibus provolant ; rem se facturos rati utiliorem, quam illi veteres artis professores fecerint, si aliquot locis hallucinatos interpretes indicarunt. Aditus quidem sunt linguae ad artes omnes, quoniam illis sunt traditae ; sed aditus tantum, non item artes ostia, non aedes.

25. Aristoteles, scriptor praestantissimus.

Aristoteles vero quaecunque suscepit tractanda, sive de moribus, sive de natura, sive de sermone ac disserendo, in artis formam ac faciem redegit, ut ne poeticam quidem omiserit, et alia minoris notae, quae ad nos non pervenerunt : quo nomine haud facile quis dixerit, quantum ei studia et disciplinae omnes, quantum studiosi ipsi debeant. Sparsa enim collegit, congesta digessit, confusa distinxit ; obscuris attulit lumen, omnia ita reddidit concinna et apta, ut percipi facile ac teneri queant, magno cum fructu eorum qui artium fructum aliquem sequuntur. Fuit vir ille (mea quidem sententia) ingenii acumine, iudicio, dexteritate, prudentia, diligentia, atque studio, omnium cuiuscunque aetatis scriptorum facile praestantissimus : edoctus diutissime a magistro non discendi modo, sed etiam sapiendi, Graeciae totius principe. Quantam hic potuisset adferre utilitatem omnibus disciplinis ? quantam lucem ? si quae ab aliis accepisset, vel invenisset ipse, aut reconcinnasset, aperte ac dilucide voluisset prodere. Sed tum ipse obscuravit consulta sua : tum fortuitae aliae obscuritates accesserunt, quae aquam fontis huius in fistulas perturbatam mitterent. Primum ut scriptores omnes qui ante ipsum fuissent, carpserat : callido

et vafro vir ingenio, talionem veritus, sententiis est usus ambiguis et in utrumque latus flexibilibus, ne quis etiam existeret, qui ipsius dicta laceraret. Ita cavit sibi semper via qua elabi deprehensus posset, ne teneretur, ut quicquid dixisse videretur integrum esset ei qui illum tenendum suscepisset, negare eam fuisse illius mentem : ut etiam in reddendis causis naturae ubi paulo erat apertius loquendum, operis titulo ademerit reprehensionis ansam, inscripto opere Problemata, ut iudicium videretur relinquere lectori liberum, admonitum modo ab scriptore. Themistius quodam loco *furori simile esse* dicit, *si quis speret se ex Aristotelis scriptis sententiam eius penitus assequuturum*. Idem ipse Aristoteles ad Alexandrum scripsit, *neminem commentarios illos, quos Rex doleret in vulgum missos, intellecturum, nisi qui ab se domi audivisset*. Nec solum obscuritas fuit in rebus sensorum, sed etiam in verbis : Affectavit enim quoddam dicendi genus pressum et astrictum, Attico etiam brevius et contractius, ut interdum non tamen eloqui videatur, quam res indicare : tum quod id visum est aptissimum ad occultandas sententias animi, tum quod in tradendis artibus non existimavit multis verbis onerandum esse discipulum, ita ut plerumque non tam sint eius verba intelligenda, quam nutus interpretandi. Et hic, tam in sua illa naturali lingua obscurus et reconditus, in alienas linguas est ad philosophiae atque artium omnium cognitionem transfusus, in Latinam, Arabicam, Chaldaeam, non ab aliquo et linguae ex qua verteret, et in quam verteret, peritissimo, qui sententias commode annumeraret, non verba ; sed vel a pueris, vel a superstitiosis, vel ab imperitis qui verbum verbo reddiderunt ; tum phrases, et schemata, et figuras omnes quae erant in Graeco sermone elegantissimae atque aptissimae, ad Latinum, aut Arabicum, invitas ac repugnantes pertraxerunt, ut nemo esset qui linguam suam patriam sic involutam ac perversam agnosceret aut intelligeret ; tum multa non assequuti, pro captu suo transtulere ut non iam cognoscendam haberent Aristotelis mentem sed interpretis ; et clamores, tumultus, tragoediae, quae de intelligentia dicti cuius-

quam Aristotelis excitarentur, non de illius essent, sed interpretis sensu. Neque vero ab illis ineptissimis ad transferendum, versus : sed ab eruditis etiam : qualis olim fuit Boethus, priore seculo, et patrum memoria, Hermolaus Barbarus, Argyropylus, Trapezuntius, et paulo antea Leonardus. Sed in his libris, in quibus de artibus praecipit, non potuit vires illas suae linguae conservare; ut plerumque non quiverit ad nos pertrahi verbulum aliquod aut dicendi ratio et phrasis, in qua situm esset universum robur sententiae. Quo fit ut melius vel a mediocriter Graeco docto, in Lingua illa sua intelligatur quam a Latinissimo, in Latina.

26. *Antiquarii homines.*

Posteriores istos antiquarii homines prioribus illis longe anteponunt. Hi quoque non exigua sane eruditioni suae incrementa detrahunt, et iudicium debilitant ac frangunt. Primum, ita addicti et mancipati sunt veteribus, ut quicquid non putent vetus esse, continuo damnent inauditum, incognitum, etiam si maxime sit vetus, modo recens credant; ut recentia si existiment esse vetera, adorent : neque enim iudicio adducuntur, sed solo nomine. Vidi qui versiculos hominis viventis, quod in pervetere bibliotheca reperti essent pulvere obsiti, ac iam fere exesi tineis, aperto capite veneratus sit, tanquam Virgilianos, aut alicuius aevi illius : et alius Ciceronis epistolam, cui consulto nomen erat praepositum Gallicum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam convitio barbariae Transalpinae. At, inquiunt, progressae sunt aliquousque artes, inde deciderunt ; eos qui in fastigio artium scripserunt, solos terimus manibus. Qui possunt de hoc censere quum alios nefas esse putent attingere ? Equidem haud abnuerim magnum in priscis illi nominibus ingenium fuisse, multum usum, ac diligentiam circa res eruendas, et tradendas illustriores posteris. Sed male de natura censet, quicunque uno illam, aut altero partu,

effoetam esse arbitratur. Cur se non putent aliquid excussuros, si annitantur ? quum nulla sit tam facilis atque humilis ars, in qua non infinita occulantur, quae possint multa ingenia diutissime exercere. Et recentiores haud sane pauca excuderunt, nonnunquam acutius, saepe etiam verius : quod illi varietate rerum distracti, aliquas parum exacte curarunt cognoscere, usus docuit aliter esse, quod Hippocrati, Aristoteli, Plinio, et alii eius notae, usu venit. Videre est in Aristotele, ut de illustrissimo ac certissimo scriptore potissimum loquar : in eo, inquam, sunt quaedam dogmata in multis quidem certa, sed saepe parum solida et catholica.

Quae de Italia aut Graecia praecipiunt parum congruunt aliis locis ac regionibus ; nec ipsis etiam eisdem in quibus scripserunt, videlicet, vel ratione vitae mutata, vel ingenio loci. Quis iam ad Vitruvii normam edificat ? Quis ex praescripto Galeni coenat ? Quis ex Varronis aut Columellae praeceptis arat ? Multa illo traduntur seculo, quorum contraria nunc experimur in coelo, in terra, in elementis : ut de habitatione sub zona torrida, de ortu Nili, de Antipodibus ; tum in stirpibus, in animantibus, in frugibus. Ignorant mores atque eruditionem suorum temporum, et oderunt. Quanquam iidem isti antiquarii sua vellent esse in pretio, et legi, et manibus teri, quantumlibet annicula. Et affectus in re omni tantopere dominantur, ut etiam gentes ac nationes spectent : non probo hunc, quia non huius aut illius regionis, quasi ingenia poma sint aut vina quae solo et regionibus censeri solent. Ubique bona nascuntur ingenia, excolantur modo : alibi fortassis frequentiora, sed ubique nonnulla. Verum isti ne suis quidem terris ac civitatibus parcunt, quo appareat non tam eos iudicare, quam invidere, putant maledicendo et contemptus specie assecuturos se, ut illis, quos despexerint, anteponantur. Sed non idem est maledicere, et vincere : despicere et antecellere. Non modo qui incorrupte aestimant, intelligunt quorsum calumnia pertineat ; sed qui eodem quoque morbi genere tentantur, non aeque aliorum malae causae favent, ut suae malae ; videlicet quod superbus aut invidus, non perinde in alienis est caecus ut in suis ;

quin potius vitia quae in se non cernit, acutissime in aliis intuetur, et carpit. Sed esto, sequamur maiores nostros per omnia, et in illorum vestigiis nos quoque pedes nostros figamus, ut pueri faciunt per lusum. Qui tamen sint hi maiores nostri, aut qaue illorum voces, ignoramus.

27. Disputationes exocularunt iudicium.

Disputationes quoque non leviter exocularunt iudicium : fuerunt quidem olim, sed inter iuvenes, institutae disputationes, quo excitetur vigor ille animi saepe torpens, et alacriores essent ad studia, vel ut vincerent, vel ne vincerentur, tum ut altius infigerentur, quae à magistris accepissent. Inter viros aut natu grandiores fuit quaedam opinionum ac rationum collatio, non ad victoriam intenta, sed ad enucleandum verum. Nomen ipsum testatur *dici disputationes, quod per eas veritas ceu putaretur ac purgaretur*. Postea vero quam ab auditoribus profecta est laus et pretium ad eum qui optime videretur sensisse, et ex laude saepenumero divitiae ac opes : prava vel honoris vel pecuniae cupiditas animos disputantium invasit, ut tanquam in pugna, sola spectaretur victoria, non elucidatio veritatis ; ut et ipsi quicquid semel dixissent strenue tuerentur, et adversarium prosternerent ac conculcarent. Humilibus et sordidis ingeniis, quique deiecto capite haec sola intuerentur levia et momentanea, parum est visum magnum pretium ab studiis probitas aut veri intelligentia, quae duo illiquod non satis acute cernerent, nec quantae essent aestimationis assequebantur, praesentem mercedem quaesierunt pecuniae, vel aurae popularis. Ideo, quo maius esset operae pretium, populum ad sua certamina admiserunt tanquam spectatores fabulae in theatrum productae ; tum, quod fieri ad consessum par erat, philosophus deposita illa tam gravi et veneranda persona, histricam induit, ut commodius saltaret : factus est populus spectator, arbiter, iudex ; et quod non facit auloedus in scena, fecit philosophus in schola, ut

tibias non sibi et musis aptaret, quod monet vetus magister, sed omnino coronae ac multitudini, a quo redituris erat ad actores honor et quaestus. Nihil opus fuit vera et solida doctrina non intellecturis, sed fucus et pulvis ob oculos multitudinis obiectus. Ergo indagandi veri una et simplex via est relicta : faciendi fuci apertae sexcentae, qua quisque ut commodum sibi esset, grassaretur, praesertim quum nihil sit tam deforme quin auctorem inveniat. Nec solum in hanc opinionem populus cucurrit, finem discendi esse disputare ; ut militiae, conflictum : verum publicus consensus permultos veteranos et quasi triarios scholasticae militiae rapuit (sed qui ingenio, et iudicio non plus valet quam plebs infima) ut supervacaneum esse ac stultum censeant, si quis ad mentem et mores et quietum illud inquirendi genus, philosophiam revocet ; nullum esse alium studiorum fructum, quam praesenti animo non cedere adversario ; intrepide eum vel aggredi, vel sustinere, et callere quo robore, qua arte, qua supplantatione, sit subvertendus. Ergo in re pulcherrima, omnium praestantissima, consultum fuit statim assuefacere puerum, et eum perpetuo exercere : altercandi statim natis initium, finis nullus nisi cum morte. Puer, ad scholam deductus, primo confestim die iubetur disputare : et docetur iam rixari, qui fari nondum potest. Idem in Grammatica, in Poetis, in Historicis, in Dialectica, in Rhetorica, in omni prorsum disciplina. Miretur aliquis, qui possint in rebus apertissimis, simplicissimis, primis ? Nihil est tam liquidum, tam clarum, quod quaestiuncula aliqua velut vento excitato non perturbent. Inertissimae datur torpedini, nihil invenire, etiam fulgore solis, quod obscures in rebus explicatissimis, quod involvas in durissimis ac inflexibilibus, quod plices et replices. Dicas vel hoc solum : scribe mihi, hic quaestio ; si non ex Grammatica, at ex Dialectica, si non ex Dialectica, at ex physicis, qui motus sit scribere : ex metaphysicis, substans an inhaerens. Atqui pueri isti nunc audiunt prima dialecticae rudimenta, heri, aut nudiustertius in ludum admissi. Sic sunt tirones isti assuefaciendi nunquam tacere, fortiter asseve-

rare quicquid in buccam, nequando videantur cessisse. Nec una disputatio uno sufficit die, aut gemina, sicut refectio. Sub prandium altercantur, pransi altercantur, sub coenam altercantur, coenati altercantur. Agunt haec, ut discant, an ut concoquant ? Domi altercantur, foris altercantur. In convivio, in balneo, in vaporario ; templo, urbe, agro, in publico, in privato, omni loco, omni tempore altercantur. Populus, non ille moderatus et gravis, sed levis, barbarus, bellax, hac velut pugnae specie mirifice delectatur. Ita ut sint imperitissimi homines permulti, et omnis literaturae penitus expertes, qui hanc spectaculi huius voluptatem reliquis omnibus anteponant, et quo magis pugnam referant, dimicatione quadam utuntur agili ac veloci, et quasi punctim feriunt, quo citius hostem suum conficiant : nec perpetua oratione aggrediuntur adversarium, nec longiorem eius sermonem possunt pati. Si quid paulo pluribus verbis dicat sui explicandi gratia : clamant illico, *ad rem, ad rem*, *categorice respondeto*. In quo ostendunt, quam inquietis sint animis, ac levibus, qui ferre verba aliquot non possunt. Estne haec exercitatio sapientiae ? Est haec professio venerandae disciplinae ?

28. Quaenam profitetur Grammaticus ?

Porro quid Grammaticus profitetur ? non solum literarum et vocum peritiam, quanquam neque hoc omnino parum, sed intelligentiam verborum et sermonis totius, cognitionem antiquitatis, historiarum, fabularum, carminum ; denique veterum omnium scriptorum interpretationem. Quid potest hoc maius vel amplius in studiis dici ? Qua de causa illis, ut iam dignitatem attingam, permissum est de scriptoribus cuiusque generis iudicium, quo sicut Quintilianus refert, ita sunt severe usi veteres Grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros qui falso viderentur inscripti tanquam subditicios submovere familia permiserint sibi, sed auctores ipsos in ordine redegerint, alios

omnino exemerint numero. Tales inter caeteros fuerunt Aristophanes, non auctor veteris comoediae, sed Grammaticus, Bizantius genere, et Zenodotus, et Aristarchus, qui cognominatus est censor auctores, et alii permulti. Cui tandem vel philosophorum, vel eorum qui maximis titulis amplissimas disciplinas, quasque nemo non suspicit, et professi sunt, et praestiterunt, tantum est permissum? nedum istis fumosis, qui contemnendo omnia, videri volunt omnium callentissimi. Ergo Grammaticorum nomen prisci affectarunt complures. Nec aetate nostra defuerunt doctissimi, qui ornari se appellatione eiusmodi arbitrati sunt, inter quos Angelus Politianus, et Hispanus noster Antonius Nebrissensis, qui pro varia, et late patenti eruditione, quum esset diligenter in omni scriptorum genere versatus, potuisset quodcunque nomen usupare, non solum cum bona professorum eiusce artis venia, sed cum magna etiam laetitia, quod non parum gloriae professioni suae accessurum ex huiusmodi hominis splendore, et nominis celebritate existimassent : nihil tamen dici et haberi maluit, quam Grammaticus. Nec Pius Pontifex urbis Romae nomen eiusmodi abhorruit. At nihil scilicet praestiterunt Grammatici in omni genere doctrinarum. Ioannes Philoponus illustres ac celebratos scripsit in Aristotelem commentorios : huius nomen nec scholae ignorant, Ioannes Grammaticus nominatur. Utinam aliquid tale praestitissent universi isti grammaticae contemptores. Quod si Grammatici horum temporum haec vel non faciunt, vel non possunt : culpa est hominum, non artis, vel professionis. Profecto nimium favemus nobis. Pulchra volumus tantum credi, et haberi quae possidemus, caetera vilia et aspernanda. Si grammaticam haberemus, celebraretur ea a nobis, et cohonestaretur, esset ex praecipuis, et maxime necessariis artibus. Argumento est, quod non quaevis grammatica a nobis improbatur. Quis enim istorum grammaticae osorum non caedit suum puerum, si dicat, ego sequor tibi : at permittit dicere, ego sequor abs te : quia illud scit Latinum non esse, hoc nescit? Eodem modo Latinam linguam contemnunt, at

qui clamores quod in vulgares linguas quaedam de Latino vertebantur ? non id in totum probo, sed tantum malitiam istorum retego : nam quia hanc non habemus, ne hac parte existimemur manci, nec velle quidem nos habere simulamus. Olim ita sunt vitioso sermone usi quidam ac spurco, ut cum videantur consulto affectasse, tametsi non multo poterant tersius loqui, sed quaedam certe minus sordide potuissent dicere. Nam simul ignorari coeperunt linguae, continuo quod intellectum non est desiit in pretio esse, et post paulum ignominiae ac dedecori duci apud eos, quos pudebat et nescire et ab aliis doceri : pigebat tamen in curam se et laborem dare : quocirca operam ea in re noluerunt ponere, quae cum desuetudine facta esset obscura et perdifficilis : tum nihil utilitatis allatura videretur praesenti exercitamento artium, imo vero cum probro, et derisu omnium disceretur. Nam quando de linguis desperaverant, tum auditores suos, ad omnia quae traderentur, sequaces, tum populum minime repugnantem in eam opinionem adduxerunt, ut cultu illo, atque ornatu sermonis magnae atque excellentes artes tradi non posse haberent persuasum quicquid sic diceretur esse Grammaticam, quicquid suo illo more foede ac sordide, id demum esse ex disciplinis altissimis, ac praecellentibus.

29. Varia Grammaticae fortuna.

Qui paulum ab scholasticis illis exercitamentis abscesserant, secretorum studiorum fructu atque oblectamentis contenti, diligentissime cultum orationis affectarunt : ut Beda, ut Bernardus, Hugo S. Victoris, Ricardus item S. Victoris, Robertus, Tuicensis, Gerson, Cusanus, Simon Cassianus, Alcuinus, Rabanus, id genus alii, non tamen plus assecuti vitio seculi : quippe adeo sunt procedente tempore obscurata omnia, ut iam quum vel maxime cuperent, nescirent tamen quid in tantis tenebris sequerentur. Ita putantes ligonem sumere, arripiebant penicillum, et

cistam pro arca : ut nec hi recentiores qui a Laurentio Valla ad hanc aetatem fuerunt, quum summa sint in revocanda Latina lingua usi diligentia, nondum tamen distinguere potuerint verba, quae urbana, quae rustica, quae germane Romana, quae peregrina, quae per iocum detorta. Sed tantae in linguas et tam densae incubuerunt tenebrae, ut deprehendi ista nondum potuerint. Ad haec quomodo potuit vel ab ipsis artis professoribus sedulo, et pro dignitate Grammatica tractari, quum illi quoque ipsi probro ducerent Grammaticos vocarî se? An potest recte munus aliquod administrari, nisi ab eo, qui illo et delectatur, et gloriatur tanquam sibi decori futuro? Amissis vocabulorum veris ac genuinis significatibus, tum etiam ratione coniunctionum, atque idiomatis linguae, necesse fuit primum iudicium funditus tolli : illud dico iudicium a Grammaticis usurpari, et eis omnium sententia merito concedi solitum. Hinc exegeticen Grammaticam amisimus : methodicen vero clausis Donato, Prisciano, et reliquis veteribus invaserunt : qui quum de sermone Latino praeciperent, eas ipsas praeceptiones barbare tradebant, ut Alexander Gallus : et quia expositionem vocabulorum qualemcunque, aliquam certe oportebat scholis perhiberi, Donato, Servio, Acroni, et huius notae successerunt Hugutio, Papias, Catholicon, Brachylogus, Graecismus, Ioannes de Garlandia, et alia ridicula nomina, quae docerent suam quisque patriam barbariem, non Latinam linguam. Nec satis illis fuit haec ignorasse, et ab eorum cognitione arcuisse alios pro virili parte sua, etiam infamarunt teterrimi criminis, ne quis vellet propius accedere metu contagii. Primum, non puto eos id sentire de linguis omnibus : nam et ipsi iidem, qui haec dicunt, tametsi spurcam, obscoenam, distortam, balbam, vitiosissimam linguam, tamen habent aliquam, fontes totius sapientiae et mundi oracula. At linguae excultae aiunt atque elegantes. At ipsi admirantur, ac suspiciunt concionatorem in patria sua lingua facundum et exercitatum. Latina, inquiunt, et Graeca : quid meruerunt miserae? Sed hoc qui constat, quum ipsi videri velint

Latine loqui se, et quidem accuratius Latina intelligere, quam illi, quos ipsi vocant linguarum professores, ut Hieronymum, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, et veteres Iurisconsultos, qui omnes Latinissime scripserunt.

30. Depravatio Grammaticae.

Ex aliis artibus pertracta sunt in grammaticam prolixioris rixae et incitamenta et fomenta : quod non facile modo fuit factu philosophis, et Theologis, qui occuparunt ludos literarios ut ex suis concertationibus aliquid in prima haec rudimenta derivarent, sed etiam necessarium iis, qui alia omnia praeter rixosa haec, nescirent. Ex dialectica sumpserunt definitionum et divisionum rationes, argumentationes, maiorem, minorem, conclusionem, consequentias. Unde sunt quaestiones super Donatum, et glossa notabilis cum argumentis, et manulis, et alia iucundiora dictu, quam lectu. Tum ex metaphysicis realitates, formalitates, entitates, de modo significandi vocum : de quo scripserunt Scotus, et Albertus Saxo : et libellus Boethi, tam illius, quam cui titulus est de scholarium disciplina : qua re nullam ego in universa artium omnium corruptela ineptiorem aut stultam magis excogitatam unquam esse arbitror. Ut quaeratur cur nomen hoc masculinum sit, illud neutrum, hoc verbum activum, illud deponens. Ceu vero non idem nomen apud Graecos masculinum si apud Latinos foemineum aut neutrum. Idem verbum Graecis activum, Latinis deponens aut neutrum : et diversae voces eiusdem significatus in eadem lingua genera, et inflexiones habeant diversas, et alia pene infinita. Scilicet necessariae erant amoenae aliquae digressiones assecutis penitus, quicquid de grammatica arte, et Latino sermone poterat disci : ingenia bonorum auctorum lectione defessa reparanda erant iucundis diverticulis. Sed quum iam Latina lingua prope tota interisset, viderentque plausibile, et venerandum, magnique ad opinionem ingentis eruditionis momenti horrenda barbarie, et soloecismis ora-

tionem conspurcare, unusquisque ad exprimendum quod volebat, verbum de sermone vernaculo mutuabatur, alias quod decorum crederetur, si quam pessime Latine loqueretur, alias quod expeditius : interdum quoque quod meliore quidem voce non carebat quidem, sed non esset intellecta. Itaque malebant aliqui iuxta vetus dictum imperitius loqui, modo apertius. nata est hinc barbaries non una, sicut una erat Latina lingua, verum sua cuique nationi et genti. Aliam ex suo vernaculo invexit Hispanus, aliam Italus, aliam Gallus, aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo intelligebant.

31. Venit in scenam poesis.

Hactenus quidem rerum corruptelae. Iam verborum, quae per recentiores contigit. Num ut crassi illi victores, qui se, ut tempestas quaedam a Septentrione in Occidentem effuderunt, non magis harmoniam, et concentum illum Graeci, ac Romani metri capiebant, quam asinus lyram, aut Midas Apollinis melodiam, ut est in fabulis : ad permulcendas asininas illas aures omisso rhythmo et proportione longorum ac brevium, similiter cadentibus et desinentibus fuit opus, alioqui non magis metrum censuras, quam orationem numeris solutam. Nam discrimen omne brevium, et longarum syllabarum prorsum amiserant, quod acuta illa Romani, aut Graeci populi auris facile diiudicabat. Hinc vulgares omnes per Europam linguae non aliud habent metri genus : translatum hoc est ad Latinum sermonem, et diversi excogitati concentus, ut fines similiter desinerent, ut media cum finibus, ut media inter se, fines inter se, quorum singulis sunt sua nomina, caudati, leonini, et alia quae satius erit non commemorari. Sed belle in sua barbarie luserunt deploratis illis melioribus, tanquam ita esset de rebus humanis actum, ut nullius felicioris, quod ad literas pertinet, seculi spes ulla foret reliqua.

Venit in scenam poesis populo ad spectandum congregato,

et ibi sicut pictor tabulam proponit multitudini spectandam, ita poeta imaginem quandam vitae : ut merito Plutarchus de his dixerit, *poema esse picturam loquentem, et picturam poema tacens,* ita magister est populi, et pictor, et poeta. Corrupta est haec ars quod ab insectatione flagitiorum, et scelerum transiit ad obsequium pravae affectionis, ut quemcunque odisset poeta, in eum linguae ac styli intemperantia abuteretur. Cui iniuriae atque insolentiae itum est obviam, primum a divitibus potentia sua, et opibus : hinc legibus, quibus cavebatur, ne quis in alium noxium carmen pangeret. Tum involucris coepit regi fabula : paulatim res tota ad ludicra, et in vulgum plausibilia est traducta, quae quum dicerentur cuneis refertis puerorum, puellarum, mulierum, turba opificum hominum, et rudium, mirum quam vitiabantur mores civitatis, admonitione illa et quasi incitatione ad flagitia. Recentiores in linguis vernaculis multo mea quidem sententia excellunt veteres in argumento deligendo. Nullae fere exhibentur nunc publicae fabulae, quae non delectationem utilitate coniungant : quemadmodum iidem recentiores arte superantur a priscis Poetis.

32. Historia indigne tractabatur.

At vero recentiores homines hanc partem memoriae, hoc adiumentum prudentiae pene totum amiserunt. Si narrant prisca, ut Graeca illa aut Romana, aut barbara, ibi mira imperitia hominum, locorum, temporum, et sine fronte, sine pudore, mendacia fortiter asseverata de iis, quae prorsum ignorabant. Cuiusmodi sunt crebra in historicis libris linguarum vulgarium. Sed in eis quoque quae Latinae existimantur, qualis est liber de vitis philosophorum, qualis de gestis Romanorum moralizatis : quid erat opus tantis mendaciis ? ceu vero moralizationem, quam quaerebat, non potuisset invenire in veris Romanorum gestis. Nec in rebus proquinquioris memoriae tradendis sumus religiosiores. Scribunt Galli Gallica, Itali Italica, Hispani Hispanica, Germani

Germanica, Britanni Britannica, aut alii in gratiam gentis cuiuspiam : putat rerum auctor id se tantum munus suscepisse, ut quantum possit, gentem illam evehat : non oculum ad veritatem adiicit, sed ad decus illius nationis : hoc ratus esse historiam scribere, si quid gens illa praeclarum egerit, prodere, dilatare, exornare, extollere : si quid turpiter, aut ignominiose, tegere, elevare, extenuare, defendere, excusare. Stulti non intelligunt hoc non esse historiam scribere, sed causam illius gentis agere, quod patroni est, non historici. Nec in actis sanctorum scribendis maior est veritatis custodia, in quibus omnia oportebat esse exacta, et absoluta, unusquisque eorum acta scribebat, ut in quemque erat affectus : ita ut animus historiam dictaret, non veritas. Quam indigna est divis et hominibus Christianis illa sanctorum historia, quae *legenda aurea* nominatur, quam nescio cur auream appellent, quum scripta sit ab homine *ferrei oris, plumbei cordis*. Quid foedius dici potest illo libro ? O quam pudendum est nobis Christianis, non esse praestantissimos nostrorum divorum actus verius et accuratius memoriae mandatos, sive ad cognitionem, sive ad imitationem tantae virtutis, quum de suis ducibus, de philosophis, et sapientibus hominibus tanta cura Graeci et Romani auctores perscripserint. Sed sunt aliqui paulo digniores historici nomine, ut Frosardus Gallus, aut Monstreletus, aut Philippus Comminius, aut Valera Hispanus. At isti omittunt saepe praecipua, et quae ad exempla, quae ad rerum usum conducerent : dicunt de nugis, de rebus levissimis. Iam prudentiae nihil possis illinc haurire : non conciones admiscent, quas iuvet legere, non sententiam suam acute interponunt, non prudenter admonent. Sunt in illis, quos modo nominavi, quidam dialogismi et sermones, et admonitiones loquacissimae, et frigidissimae, ut mirer esse tam patientem ullum stomachum qui illa possit devorare, duntaxat quod res insulsae, nullo condimento concinnantur, non eruditionis, non acuminis, aut iudicii, non eloquentiae, et ornatus orationis. Equidem haud ignoro satis esse historiae, si fit vera, quae ut reliqua habeat omnia, si veritatem

non habet, obtinere nomen suum non potest. Sed tamen iucunditas orationis detinet lectorem, ut res illas gestas velit cognoscere, neque id semel. Cui lectio una sufficit, vel Livii, vel Taciti, vel Thucydidis? Quis non authores illos saepius sumit in manus, saepius perlegit? At nostri in illo suo Latino sermone, stilo sunt sordidissimo ac spurcissimo, seu nullo potius : neque enim est stilus incondita illa barbarismorum et soloecismorum congeries. Si vernaculis scribunt linguis, unus est totius orationis color fuscus, et dilutus, unus habitus, sine sale, sine ulla gratia et cultu, tenere ut lectorem dimidium horae vix possit. Idcirco nec eos, nisi homo curiosus, legit, et cognoscendi temporum cupidus. Qui vero relegant, non inveniunt, ut satius ducant libros legere aperte mendaces, et meris nugis refertos, propter aliquod stili lenocinium, ut Amadisum, et Florisandum Hispanos, Lancilotum, et mensam rotundam Gallicam, Rolandum Italicum : qui libri ab hominibus sunt otiosis conficti, pleni eo mendaciorum genere, quod nec ad sciendum quicquam conferat, nec ad bene vel sentiendum de rebus, vel vivendum.

33. Recentiores dialectici.

Aristoteles ac veteres omnes Graeci usum Graecae linguae sunt secuti : Cicero, et Latini Latinae. Infinita sunt quae ex communi usu affirmat Aristoteles in praedicamentis, in Metaphysicis, in Topicis, denique ubicunque de sensu verborum agitur. Et recentiores isti non ignorant dialecticam suam praecepta esse in communi lingua observata : ideo enim multa probant per communem modum intelligendi, et ad tuendas eas enuntiationes quae vulgo habentur pro veris; tot regulas illis prioribus interferserunt, ut de *suppositione accommoda,* et *personali,* de *tempore pertransacto,* de *distributione,* pro *singulis generum,* pro *generibus singulorum,* et eiusmodi, haud penitus ignari observationem esse linguae dialecticam. Quod si meliorem novissent linguam, utique ad eam

accommodassent canones, sed de ea loquebantur, qua illi non solum optimam esse autumabant, sed solam, quum aliam ne de facie quidem unquam vidissent. Putabam olim, quum inciperent haec mihi displicere, magnum me negotium habiturum istis confutandis contra homines pertinaces distinctionibus armatos, disputando invictos, et qui numero valerent. Sed hoc tempore renato sermone Latino, et vel pueris iam proprietatem linguae Latinae intelligentibus, facilior erit eorum confutatio, quae ex prave cognita lingua fuerunt corrupta: dicunt, usum populo concedentes scientiam nobis reservamus : et duos faciunt sensus, bonum, et rigorem. Quid est rigor aliud ad eorum sensum, quam exacta quaedam loquendi ratio? At eam ex quibus petemus, nisi ex iis qui exactissime quaque linguam tenent, non ex iis qui sunt eius inscientissimi? in Latina ex Cicerone, Plinio, Seneca, Varrone, non Petro Hispano, aut Gulielmo Hentisbari. Boethus, Apuleius, Capella, in suis dialecticis dicta Ciceronis adducunt pro testimonio, nempe Latini homines hominis Latinissimi, quique absolute linguam illam norat, et rigorem hunc poterat adiuvare. Graeci Demosthenis, Isocratis, Homeri, Euripidis, Sophoclis : de quo alio loco a me disseretur : nos etiam magnorum auctorum utemur dictis : nam unde, nisi ab illis, requirenda est linguae proprietas? Ex illa imperitia sermonis natae sunt nobis *suppositiones, ascensus, descensus, ampliationes, restrictiones, appellationes, exponibilia,* ad quae si lingua esset aptanda, non solum obmutescendum esset, sed aliquid esset verum in scriptoribus: ut interdum mirer, quomodo haec eis venerunt in mentem, tam ab omni ratione, et loquendi, et sentiendi abhorrentia.

34. Revocatur studium linguarum.

Memoria patrum et avorum coeptum est in Italia revocari studium linguarum per discipulos Petri Ravennatis Latini, et Emanuelis Chrysolorae Graeci : inter quos maxi-

mi nominis fuere Leonardus Aretinus, Fran. Philelphus, Laurentius Valla, Varinus Veronensis, Perottus Nicholaus, Secuti sunt eos Ioannes Picus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, et alii quos hic recensere nihil attinet. Hos vero, et quotquot doctius Latine loquerentur, quam caeteri, oratores vocaverunt. Sed ii qui vim nominis parum intelligerent : exercitium enim artis oratoriae nondum est reductum, sed tantum in linguis funditus deiectis ac pessundatis instaurandis atque erigendis cunctum illorum studium consumptum est. Quippe artis huius praecepta exercitio remoto nihil iuvant. Hactenus nemo declamavit utique in materia argumentosa, et quasi in certamine et palaestra : tametsi multi delectarunt se oratiunculis, quae adversarium non haberent : ut laudationibus artium, virtutum, principum hominum : vel rabiose se exercuerunt canina facundia, invectivis, quibus lacerarent invicem, id est convitiis, et maledictis in unum congestis quotquot possent, quis adversarium proscinderent, naso suspenderent, irridendum et contemnendum omnibus exhiberent, de causa nihil dicerent, aut perparum : si qua tamen alia erat causa, quam susceptas levi aliqua de causa inimicitias atrociter persequi. Nec de phrasi, et genere dicendi video illos fuisse valde solicitos, in electione modo verborum occupatos. Et quem admodum ante centum annos qui Ciceronem ut Latinos alios legebant scriptores, sensa spectantes sola, verba non animadverterunt : ita isti qui in verba sola essent intenti, dictionem praeterierunt inanimadversam. Ergo videas eos eadem dictione conscripsisse res magnas, parvas, laetas, tristes, humiles, sublimes, epistolas, orationes, rustica, physica, moralia, forensia. Nimirum accommodatio styli ad genera argumentorum et audientium, atque adeo inventio ipsa argumentorum causis et locis apta res est longa, varia, intricata. At illorum plerique nullam, aut per exiguam huic rei operam impenderunt, alioqui per se difficillimae : quo magis miror quorundam impudentiam dixero an ne temeritatem, an utrunque, qui de cultu, et colore, et habitu orationis, denique de toto stylo ac phrasi intrepide iudicent

inexercitati, et quidem ex brevi aliqua, et tumultuaria pagellae unius aut alterius lectione : de quo merito, et graviter Gulielmus Budaeus conqueritur, quum veteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerint ubique recte censere. Quid quod ea nomina, quae phrasi induunt, explicare vix scirent, si rogarentur ?

35. Servum pecus Imitatores.

Imitando discimus, ut artes ac disciplinas, quascunque a natura non accepimus. Sed imitatio rerum divinarum nunquam potest exemplari par esse, nec mortalem artificem aequare sempiterno : in humanis potest ita proficere, ut homo hominem consequatur, et antecedat. Quocirca quae initio est imitatio, paulatim eo debet progredi, ubi iam incipiat esse certamen non solum aequandi, sed etiam, si qua detur, vincendi. Imitatio nunquam eo pertingit, quod sibi pro exemplari proposuit. At vero in certamine etiam a tergo possis eum relinquere cum quo certas. Itaque veteres sic initio imitabantur, ut mox aemularentur, ad postremum quoque certarent, et contenderent, non raro utique felici successu : nam praevertebant illis, quos prius pro ducibus, ac magistris habuissent : ut Cicero Crasso, et Antonio : Plato Cratylo, et Architae : Aristoteles Platoni : Vergilius Ennio, Lucretio, Hesiodo : Nostra aetate quidam ridicule sese alligant imitationi tantum, nec in verbis solum Latini sermonis et Graeci, quod necessarium est, propterea quod eae linguae amissae in vulgus monimentis veterum auctorum continentur ac conservantur, sed in phrasi, quod minime est necessarium : quippe collectis e lectione vocabulis, et loquendi formulis, tanquam lignis et lapidibus, si unusquisque extruere orationem potest, ut maxime vel ingenio suo congruat, vel exigat materia, vel tempus aut locus poscant. Verum quod magis mirere, in materia et argumento tractando nunquam non imitantur, ut imperiti sutores qui nullum calceum vel scindere possunt, vel suere, nisi forma adhibita :

astringunt vires et libertatem ingenii ad certum quoddam praescriptum : ut non immerito *servum pecus imitatores* nominet Flaccus Horatius. An vero est ulla servitus maior, et quidem voluntate suscepta, quam non audere ducis sui praescripta, et tanquam saeva dominorum imperia egredi, etiam si alio res vocet ? si tempus, si auditores, si generosa ingenii natura invitet, pertrahat ? Quomodo poterunt hi currere, si sit opus, imo quomodo ingredi, quibus est semper in alieno demum vestigio pes figendus, non aliter quam pueri faciunt lusitantes in pulvere ? Quid dicam imitari semper eos, nec scire quid sit imitari ?

36. Decerptio Ciceronis.

Verum hoc tempore, in quo novi quidam morbi prioribus seculis inauditi sunt exorti, et iste est natus quorundam alligandi sui ad imitationem Ciceronis, ad eam inquam decerptionem, quam illi imitationis ornant nomine. De qua nonnihil attigit Politianus in epistola ad Cortesium, etsi in omnem imitationem potius, quam in hanc unam, quemadmodum et Fabius Quintilianus. Budaeus in hanc ipsam est per occasionem invectus digressione quadam in commentariis Graecae linguae : Erasmus librum iustum de eo ipso scripsit iniquitate iudiciorum permotus, in quo multa congessit acute conquisita, qui etsi non nunquam argutatur magis, quam argumentatur, et ludit potius quam pugnat, nempe ex scripti illius ratione : nam dialogo rem persequitur ; habet tamen, quantum ad hoc attinet, iustam et piam querelam indignationis, multisque bonis ac fortibus argumentis praeliatur : quae quia nota sunt omnibus, etenim liber est in manibus, nos in praesens praetermittemus, solum dicemus more nostro pauca quaedam, quot suscepto instituto videbuntur sufficere. Principio quod prudenter ait Cortesius etiam Ciceroni addictus : quae stultitia est, ut quum tam varia sint hominum ingenia, tam multiplices naturae, tam diversae inter se voluntates, eas velle unius ingenii an-

gustiis astringi, et tanquam praefiniti ? Iam dicant mihi, quid imitantur, nam multa habet Cicero optima, et affectione dignissima. Linguam inquiunt. Cur non etiam argumenta, et philosophiam, et cognitionem veteris memoriae, et variarum rerum usum ac peritiam. Nam si propterea linguam admirantur, quod in omni populo et senatu Romano tantas dicendo est vires opesque consecutus, ideoque eam imitatione censent dignam, imitentur potius rerum praesentium et praeteritarum cognitionem, scrutationem sectatorum sapientiae, tractationem humani animi, colligendi acumen, quibus potius virtutibus omnia senatui et populo et iudicibus persuaserit, quam facultate verborum et dictionis. Puritatem linguae arbitror equidem maiorem et castiorem fuisse in C. Caesare, in M. Bruto, et aliis Romanis principibus, quam in M. Tullio. Nec phrasis eius omnibus placuit, etiam quum de ea poterat censeri, non Bruto nec Calvo, nec ipsi Pomponio Attico amicissimis : at cuiusmodi censoribus ? Quare non quod ornatius quam caeteri diceret, quanquam dicebat ornatissime, sed quia acutius colligebat, et fortius pugnabat, armatus tot tantarumque rerum notitia. Eius vero quod deceret et inspector acerrimus, et executor dexter inprimis, ac diligens, vincebat adversarios, audientes ducebat in suam sententiam. Id vero facile est cognoscere, quod in eadem causa, si quis illius argumentis quacunque lingua et actione utatur, plurimum certe habebit momenti, ac roboris.

37. Qui Ciceroniani videri affectant.

Ea igitur animi indoles, et tam varia eruditio, et tractandae cuiusque rei ratio esset istis exprimenda, qui Ciceroniani videri affectant, potius quam stylus ac verba, etsi haec quoque sed ea postremo sequerentur. Magis certe Homerum exprimit Virgilius, quam Ennium, etsi huic lingua est vicinior, et prope idem. Similior patri filius qui mores reddit, quam qui lineamenta oris. Cur tantum virum

non totum imitantur, et potissimum animum, quo praestat corpori ? quod recte praecipit Paulus Cortesius, qui aliam multo viam imitandi ostendit, quam isti sequuntur, eamque merito deplorat ab hominibus nostris aut neglectam esse, aut mutatam : neque enim vult nos Ciceronis similes ut simias sed ut filios parentum : simiae externa solum repraesentant, filii etiam interna : nec simiae aliud quam lineamenta et deformitates quasdam gestus ; filii vultum, incessum, statum, motum, vocem. Et tamen habent, inquit, in hac similitudine aliquid suum, aliquid naturale, aliquid diversum, ita ut cum comparentur, dissimiles inter se esse videantur. Eadem est sententia hominis omnium Ciceronianissimi Christophori Longolii. Sed demus iam Ciceronis verba esse purissima, nam aut esse credo, aut non multum abesse, tum stylum optimum, dico ex iis qui fuerunt, non ab eo, quod fieri potest ; neminem esse arbitror adeo admiratione Ciceronis excaecatum, quin videat longe discedere. Sed quid in iis faciemus, de quibus non est locus ? ut de aedificiis, de agro colendo, de rustico, aut urbano, aut bellico instrumento. Num tacendum erit ? Quid loquentur de nostro foro, de nostris legibus, institutis, moribus, de pietate nostra per omnia Ciceroniani ? Res omnes, sicut praeclare Erasmus colligit, sunt mutatae, ut apte loqui de rebus praesentibus nequeat, qui a Cicerone *latum unguem* deflectere non audet.

38. Leges imperite tractatae.

Maximam obscuritatem sequentibus seculis attulit ruditas duarum linguarum. Ignorata sunt verba Graeca, quorum frequens est mentio, quum in toto corpore iuris civilis, tum potissimum in *codice,* et ex eo tribus postremis. Multa citata ex Homero, et Demosthene, et aliis Graecis, penitus omissa, in quibus erat vis sententiae legis : pro quorum expositione unum illud dictum arbitrabantur sufficere, *Non potest legi, quia Graecum :* quasi in perpetuum desperarent de eo, quod in praesens non assequerentur. Iam leges permultae sunt

Graece scriptae, et prave in Latinum versae ab interprete imperito. Idcirco et pleraque omnia verba simplicia Graeca quae in iure sunt civili relicta, confusa ad nos venerunt, ac depravata. Inscientiae Graecitatis, accessit imperitia Latini sermonis, et eorum omnium, quorum est crebra mentio in iure civili, vestium, supellectilis, instrumenti rustici, tum rerum ac consuetudinum fori, ac totius civitatis Romanae, in quibus sita est mens legum, et sententia. Ad haec historiam et temporum rationem oblivio oppressit. Quorum omnium fuse adferrem exempla, nisi ea nota essent iam vel mediocriter doctis facta ex libris eorum, qui peritiam iuris aggressi sunt illustrare, adiuti linguis et cognitione antiquitatis, Budaei, Alciati, Zasii, Salomonii, Nebrissensis. Detracta tanta parte iuris civilis, operta ignorantiae tenebris, quantulum erat quod ad intelligentiam eorum fiebat reliqui ? nempe quae semper habita sunt facillima, et maxime exposita. Atqui et in his versabantur hallucinanter, ac divinabunde, ut non ex verbis sensa deprehenderent, sed ex sensu verba. Nec aliter non raro divinarunt illi veteres significationem alicuius nominis reconditi, quod viderent ex sensu non posse aliud intelligi quam videmus quotidie fieri in iis, qui mediocriter linguam aliquam noverunt in abstrusis eius verbis. Et ut fuerunt illi indocti, tum libri legum frequentissimi illis in manibus, ut si qui alii, depravarunt quae non intelligebant : et *librariorum insectando inscitiam,* quemadmodum Quintilianus ait, *prodiderunt suam*. Ergo libros illos mendosissimos habemus, adeo, ut plerunque nullus omnino nec a doctissimis atque ingeniosis, elici possit sensus. Huic malo dicitur servatum remedium in quadam bibliotheca Florentina, in qua servantur antiquissimi quidam libri legum correctissimi, qui propter vetustatem ἀρχέτυποι nominantur : et vulgo libri Pisani, unde sunt Florentiam cum opibus illius urbis transvecti. Sed nunquam prodit illud remedium : quod si prodiret, quod vir doctus multis annis quaerens, et se defatigans vix invenit, id una hora patefieret : si modo tales sunt, quales praedicantur. Iam quum Iustinianus prolixitatis pertaesus detruncarit

scripta iurisperitorum, ut labori studiosorum consuleret, vetuerit etiam, ne res eodem relaberetur, glossas fieri : Isti nihil legem illam pendentes, quum tamen sacrosanctas leges nominent, glossas addiderunt, sive ut explicarent quae obscura sibi et aliis essent per ignorantiam facta, sive ad ostentationem peritiae, ac nomen proferendum. Et tamen quos non piget legere tam longos Bartholos, Baldos, Iasones, Albericos, piget legere *corpus ipsum iuris*.

39. Linguae Vernacula et Latina.

(Ludi litterarii magister) Vernaculam puerorum linguam exacte cognoscet, ut commodius per hanc et facilius eruditas illas tradat. Quod nisi in lingua patria aptis et propriis ad eam rem de qua loquitur, utatur verbis, fallet subinde pueros : isque error adultos iam et grandes pertinaciter comitabitur. Quid quod pueri nec suam ipsorum linguam satis intelligunt, nisi explicantissime singula dicantur. Teneat memoriam omnem vetustatis linguae patriae : et cognitionem non verborum modo recentium, sed priscorum quoque, et quae iam exoleverunt : sitque velut praefectus quidam aerarii linguae suae : nam ni ita fiat, quum unaquaeque lingua mutationes crebras recipiat, libri ante centum annos scripti non intelligerentur a posteris. Qua de causa multa in duodecim tabulis Marcum Ciceronem, et magnos iurisconsultos fugiebant : multa etiam quotidie in linquis vulgaribus fiunt ignota. Habebit amplam et copiosam verborum Latinorum supellectilem sed vere Latinorum, ut ab eo possint pueri tanquam ex fonte incorrupto haurire : ne cogat eos per ambages quae velint eloqui, aut quod est turpius atque incommodius, digito indicare. Haec quidem earum rerum, quae sub sensus veniunt, appellatio necessaria est inter ponendum prima rudimenta : illud tamen provectioribus utilius, ut assuescant abstrusos animi cogitatis scite expromere, in quo uno sita est universa eloquentiae vis.

40. Vere imitabitur aemulator.

Institutor id animadvertet, quod si iuvenis inepte, quae imitanda sibi proposuit, effingat, ab imitatione eum ad suam ipsius naturam sequendam traducet, ut sit suus, qui alienus non potest. Initio quidem, sicut antea monui, facillima exprimet, atque adeo concedam illi, ut quae reddere non poterit ab exemplari ipso, in suum opus transferat, modo ne illum fugiat non id esse *imitari,* sed *suppilare :* in quo errore plurimi versantur : paulatim autem vere *imitabitur,* id est, ad exemplar effinget, quae volet : non de exemplari *centones* surripiet, quos in opere suo consuat.

Proposito autem ante oculos exemplari attentissime aemulator contempletur, ac consideret, qua tandem arte, ac ratione ab authore id putet confectum, ut simili artificio et ipse quod animo destinarit, perficiat. *Ars* enim et *opificium,* quantum fieri quidem possit, idem praestandum est, et quodam modo surripiendum, non materia eadem, vel opus idem. Velut si quis exempli causa, gratias alicui acturus eadem dicat, quae Cicero Senatui, quae populo Romano, vel, quae Ausonius Gratiano Augusto, furari hoc quidem certe esset, *imitari* autem fuerit, si consideret, quid auctor in orationis exordio velit efficere, quid secunda parte, quid tertia, et sic deinceps : quae primo dicat loco, quae aliis sequentibus, quibus sententiis in quaque re utatur, quibus argumentis, et quibus ex locis petitis, quomodo colligatis, et connexis, quas similitudines inducat, quae usurpet exempla, quos animi affectus attingat, ubi, quomodo, quibus authoritatibus sua fulciat, et quorum : non quo nos utamur eorundem, sed ut eorum, qui nobis loco eodem sunt, quo illi erant auctori nostro : qua commissura priora posterioribus compingat, quae verba singulis partibus accommodet, quam verborum structuram : hoc tu artificium idem effingito, non eadem vel verba, vel sensa.

Sunt tamen ex humanis inventis nonnulla, quorum vel ars omnino periit, vel usus : haec aegre perfeceris : qualia

ii, qui tum vixerunt, quum ars aut usus vigeret : quemadmodum in linguis Latina et Graeca, quarum quoniam populum amisimus, mutuanda sunt semper ex veteribus vocabula, nec nos ulla, aut certe perpauca possumus novare. *Stylus* non perinde est ab illis sumendus : nam parta undecunque materia artifex eam tractabit ad arbitrium : tametsi contendere, ut dictionis ornatu ac cultu antiquitatem superemus, aut aequemus saltem, non tam malum et vituperandum est, quam periculosum, ne linquamur viribus, et in absurditates incidamus : vel certe difficile desuefactis iam auribus a censura soni illius. Promptius esset ea de causa in linguis vernaculis, quibus est populus magnus sermonis sui auctor, magister, iudex. Puerum imitari liberale est, ac laudabile. Senem imitari, servile, ac turpe. Convenit enim ut puer magistrum et ducem habeat, quem sequatur, non item ut senex. Quocirca ibi satis te in *imitationis* hoc, ut sic dicam, stadio exercueris, *æmulari* incipe, et te cum duce tuo conferre.

JACOBUS SADOLETUS (1477-1547)

41-43 : Iacobi Sadoleti Episcopi Carpentoracti S. R. E. Cardinalis Epistolarum libri (41-42 : lib. V. Ep. xviii. Angelo Colotio, 1529. 43 : lib. VIII. Ep. ix. Hieronymo Nigro, 1533),

44 : Iacobi Sadoleti ad Marium Maffaeum Volaterranum de Philosophia liber II, ad finem.

45-50 : Iacobi Sadoleti De liberis recte instituendis ad Gulielmum Bellaium Langaeum liber. 1534.

41. Venusta inter viros litteratos festivitas.

Saepius iam literis meorum certior factus sum, vivere apud te et ceteros istic aequales nostros, quos fortuna nobis reliquos fecit, mei memoriam absentis : sanctumque illud foedus amicitiae, quo vetusto admodum coniuncti inter nos sumus, suam apud vos religionem obtinere. Quod mihi cognosse fuit iucundissimum : etsi hoc verbum, propter eas ruinas quibus oppressa sunt omnia, iamdudum ex usu atque animo nostro sublatum esse videatur, Sed tamen cum mihi scribitur (id autem sit fere quotidie) te et Petrasanctam meum cuius ego excellens ingenium et naturam liberam atque ingenuam dilexi semper, et Thebaldeum magno honore ac laude dignum hominem : Curtium quoque nostrum, cuius plura iam extant cum literarum atque ingenii, tum amoris erga me atque officii indicia ac monumenta, amanter saepe percontari de me, meamque pristinam desi-

derare consuetudinem ; profecto hominum cum mihi mea voluntate et iudicio charissimorum, tum sua virtute ac dignitate honestissimorum, crebra de me mentio, eademque plena amoris et desiderii maximam mihi voluptatem affert. Nihil enim est homini cum fide amicitias colenti, quo me ex genere hominum esse profiteor, pari amicorum erga se voluntate optatius. Ac mihi recordanti spatium praeteriti temporis, et vetera animo repetenti, cum et plures convenire soliti eramus una, et erat aetas nostra ad omnem alacritatem animique hilaritatem longe aptior : quoties venire in mentem putas eorum coetuum conviviorumque quae inter nos crebro habere solebamus ? cum aut in hortis tuis suburbanis, aut in meis Quirinalibus, aut in circo maximo, aut in Tiberis ripa ad Herculis, alias autem aliis in urbis locis conventus agebantur doctissimorum hominum : quorum unumquemque et propria ipsius virtus, et communis cunctorum praedicatio commendabat. Ubi post familiares epulas, non tam cupedia multa conditas, quam multis salibus, aut poemata recitabantur, aut orationes pronuntiabantur, cum maxima omnium nostrum qui audiebamus voluptate : quod et summorum ingeniorum in illis laus apparebat, et erant illa tamen quae proferebantur plena festivitatis ac venustatis. Quo in genere recordor pressum et acutum Casanovam, Capellam laetum sonantem, magniloquum Vidam, et cuius proxime ad antiquam laudem carmen accederet : castigatum et prudentem Beroaldum. Quin et duorum summorum hominum me admonet recordatio, fuisse quoque eorum conventu nostras aliquando coenas atque epulas exornatas : quorum est unus Petrus Bembus, cuius in omni virtute laudeque eloquentiae summa et singularis semper fuit gloria : alter qui nuper in Hispania decessit maximo cum moerore omnium quibus fuerat notus, hoc est plane omnium, Balthasar Castilioneus, magnus vir in primis, nec solum nobilitate et genere, sed magnitudine etiam animi et omni eximia virtute praestans : quique, quod militari viro erat admirandum, omneis omnino arteis libero homine dignas, et omnia doctrinae genera comprehenderat : quem

ego recordor saepe atque hilare nostris coetibus interfuisse: et ipsum, et eum qui paulo ante est mortuus, summa indole ingenii et spe maximae virtutis, Ioanem Franciscum Furnium civem meum. Namque hos qui modo secutus supremum in Gallia obiit diem, pari cum illis virtute et nobilitate praestans, Andreas Navagerius, tametsi nostris coetibus minus saepe interfuerat : propter excellentem tamen in literis et scientiam et gloriam, a nobis est perhibendus. Lazarum autem qui nunc abest a nobis, cuius in Graecis et Latinis singularis est eruditio, quique philosophiae et sapientiae studia non solum scientia, quod faciunt permulti, in quibus tamen excellit : sed vita et moribus et vera virtute complexus est : credo equidem vobis in desiderio esse, itemque Marium Volaterranum, hominem gravem iam et dignitate, et annis : sed cuius admirabile ingenium, summamque optimarum literarum cognitionem, nisi urbs et urbanae curae praepedivissent, plurimum lucis allaturum nostro saeculo non dubito fuisse : a quo potissimum exhilarabantur coenae nostrae : cum et in lacessendo acute, et in respondendo, omnes ex eius verbis atque vultu effluerent lepores. Atque inter hos tot et tales viros, aliosque complureis, quorum omnium nomina persequi non huius est scriptionis, dulces quoque Corycii iracundias, et gratas ineptias Donati spectare haud displicebat : quos noster Savoia homo omnium facetissimus et provocare solebat studiose, et ridere. Nam de te mi Coloti quid ego dicam? Cuius in animo, ac natura mihi videntur Musae effigiem sui moris ac decoris insculpsisse, ut esses pudore, virtute, liberalitate ornatissimus : cuius pectus atque ingenium doctrinis omnibus, domus autem ipsa tua omnibus doctis pateret. An est quicquam in rebus ad conciliandos natum animos, quod meam in te benevolentiam non accendat, praesertim cum me abs te tantopere intelligam amari? Sunt quidem et multae praeterea amoris caussae : vetusta necessitudo inter nos, societas etiam eorundem studiorum, tum cum dabamus Graeco doctori Carteromacho simul operam. Quo quidem ex tempore recordor nec meam tibi

insignem benevolentiam, nec tuum mihi studium unquam defuisse : tum autem multa saepe nobis communia, lusus, convictus, deambulatio : par prope atque idem in amicis delectus, ex eisdem rebus delectatio. Sed quorsum ista? omnino longius sum lapsus, meque veterum et rerum et hominum cogitatio ulterius provexit, quam fuerat voluntas. Sed tamen illud intelligi a te volo, non vestrum solum, qui valetis et vivitis, (quorum quidem salus mihi ita iucunda est, ut mea sit vita propter vos mihi charior) sed eorum etiam, qui fato functi sunt, quorum maior longe est multitudo, memoriam cunctorum mihi in intimis sensibus inhaerere : quorum equidem omnium, (si hoc otium, quo nunc perfruor, Deus mihi fortunarit) nomen non patiar apud posteros ignorari.

42. Acerba Urbis Romae fortuna.

Atque haec tempora, et has vitae iucundae ac beatae suavitates, insecuta clades et acerba fortuna reipublicae disiecit. In quibus detrimentis, etsi maximum cepi ex urbis gravi casu, et vestrum omnium iacturis, quos illa calamitas oppressit, dolorem : tamen id mihi accidit non incommode, quod consilio et voluntate reliqui res Romanas, antequam illa me istinc tempestas extruderet. Direptae meae quidem omnes, dissipataeque fortunae : idque non semel, sed bis, aut etiam tertio : quodque durius visum, libri una erepti. At nihil tamen indignitatis, nihil foeditatis in corpore passus sum. Nudus in has oras, tanquam ex naufragio sum compulsus, ac liber animi, et placatus tamen : utpote cui iam non in his rebus externis, non in honore et gratia populari, non in divitiis atque opibus : sed in alia quadam certa ratione vivendi, animi sit quies, et vitae beatitudo reposita. Itaque facile patior, meum constitutum procul ab urbe manendi, vinculis iam ineluctabilibus constrictum esse, non solum voluntatis meae, verum etiam necessitatis : cuius numini non repugnare ne Deos quidem ipso vetere prover-

bio iactatum semper est. Etenim cum consilium cepi Roma exeundi, noli putare non multa extitisse, quae me dehortarentur, et quae animum meum quodam dolore flecterent : amor, consuetudo, spes honorum, amicorum et necessariorum lacrymae, ornatissimorum hominum familiaritates : quibus ego (quod liceat sine arrogantia dicere) egregie praeter ceteros florebam : atque illi ut meipsum, non ut fortunam meam appeterent. Dices, quid ergo ? quae te ad discedendum caussa compulit ? Illa, mi Coloti, quod magna mihi vitae parte in alienis rebus iam acta, ad ea quae me attingunt propius, et in quibus mea salus et vera vita consistit mihi aliquando tandem revertendum intelligebam. Dederam satis principibus, dederam satis amicis, dederam Reipublicae, mihi quando darem ? si iam quinquagesimum attingens annum, non ex illis fluctibus in portum, et ab terrenis ad coelestia et curam et animum meum revocarem ? His ego de caussis urbi salutem dixi : non amorem et charitatem Christianam deponens, sed contactum rerum turbulentarum reformidans. Sed quod dicebam modo, me ut absim ab urbe, non solum voluntatis, verum etiam necessitatis vinculis constrictum esse, id eiusmodi est ; Nulli unquam sua patria, solumque illud in quo quisque natus et alitus, gratam incunabulorum memoriam secum perpetuo fert, tam charum fuit, tamque amabile, quam mihi urbs Roma, et sancti illi penates tot clarissimorum fortissimorumque hominum, quorum pene in passus singulos, cum per vicos et plateas urbis vadebamus, aliquod in monumentum, aliquamque in historiam pedem ponebamus. Cur autem tantum amarem, et vetustatis admiratio faciebat, et praesens civitatis maiestas : et mehercule etiam magis, quod quicquid est in me humanitatis atque ingenii (si modo est aliquid) omne hoc illi referebam acceptum. Hanc igitur Urbem mihi dilectam et charam usque eo, ut nihil in amore fieri possit ardentius, deformatam ruinis, exinanitam frequentia, plurimis claris viris, illustribusque orbatam, quorum in suavitate et benevolentia mei (quos pro republica capiebam) labores requeiscebant, ut videre velim, animum inducere

non possum : iactatam praeterea etiam nunc procellis, obiectam tempestatibus. Ita quod prius amore repugnante, iudicio tantum adductus faciebam : nunc eodem amore auctore firmius facio : ut sedem mihi in his locis perpetuo domicilio constituerim. Si quidem amantis est non solum appetere congressum eorum quos amat : sed si quid illis accidat miseriae et calamitatis cui ferre opem ipse non possit, non modo aspectum tanti doloris, sed mentionem quoque ipsam devitare. Quamobrem immota haec quidem et in omnem partem stabilis est animi mei sententia, tempus reliquum vitae quod superest, non in urbe Roma, sed Carpentoracti : neque ad hominis ullius arbitrium, sed ad summi Dei honorem atque cultum, mihi impendendum et consumendum esse : ita, ut optimis artibus et literis suam partem sim daturus. Qua spe, et quo eventu, quoniam nihil magnum de me polliceri possum, totum in aliorum opinionibus relinquo. Quod autem mihi vehementer cordi est, et de quo plurimum laboro, ut salvum maneat mihi et praecipuum ornamentum praeteritae vitae, et futurae solatium : hoc est, ut vestra erga me voluntas incolumis permaneat, quando ex vestro amore erga me, vestroque iudicio, omnis prope mei animi laetitia pendet : id vos vehementer oratos et rogatos esse volo, ut mei absentis memoriam retineatis : quaque ego fide, quaque constantia, fidem verae amicitiae conservans vos in oculis atque in animo assidue gero : eandem vos mihi fidem benevolentiam que praestetis. Quod non ut diffidens postulo, sed ut amans, et quod omnium rerum mihi est optatissimum, me ab illis diligi, quos cunctorum amore dignissimos, ipsorum virtus, et doctrina, et summa humanitas facit. Valete.

43. Cives Carpentoractenses magistrum quaerunt.

Inter multa quae mihi erant voluptati et delectationi, illud unum aegro animo ferebam, quod nullam in his nationibus bonarum literarum cognitionem, nullum inesse stu-

dium optimarum artium videbam. Nec vero id facile ego pati poteram : ut cum a me mei ratio postularet officii, ut quacunque re possem, populis meis commodarem : earum adeo rerum, quae ad bene ac beate vivendum pertinerent, hanc unam rem sic abire sinerem, in qua (ut mihi quidem videtur) vel beata praecipue vita continetur. Itaque quoad potui, hortando, rogando, commonefaciendo, aliquos tandem induxi, ut suos cupiant liberos erudiri his literis, quas nos appellamus optimas. Nam antea nulli erat hic arti neque scientiae quicquam loci, nisi iuris civilis peritiae : quae expetebatur ab omnibus, non ut discerent homines vivere liberaliter, sed ut lucro et arcae consulerent. Nunc videntur in animis aliquorum eiusmodi semina esse iacta, ut si sit doctoris copia et facultas, ingenuas illas artes et disciplinas, quas nos eo vehementius probare soliti sumus, quod animos illae docent ac instituunt non deservire pecuniis, sed ab omni illiusmodi cupiditate, vel labe potius solutos esse, in honorem adduci posse confidamus. Quanquam rei eventus in nostra potestate non est : exemplum certe introducere, et ordiri principium aliquod, rebusque bonis nec opera, nec studio, nec auctoritate deesse, hominis est non sibi uni, sed et patriae, civibus, et communi cunctorum utilitati servientis : quam nos in primis rationem vitae voluntatemque instituimus sequi. Est autem in civitate hac conventus quidam monachorum, quorum rector maxime cupiditate hac incensus est : Graecasque et Latinas literas cupit in familia sua propagari. Idemque universae provinciae Narbonensis praeest reliquis ordinis sui conventibus : ut videatur huius praeclari amoris stimulos in plures coetus hominum esse disseminaturus. Sed (ut dixi) magister nobis deest et auctor, et iuvenum quasi quidam moderator, huic idoneus muneri : quem si nancisceremur, spes foret, aspirante nostris conatibus Deo, aliqua hic quoque excitatum iri ingenia, quae ad nobilissimarum artium adipiscendam laudem egregie apta existerent. Hunc nos magistrum et doctorem a vobis quaerimus. Habetis enim istic (ut ego arbitror) talium virorum copiam. Sed

eum esse huiusmodi oporteret, qui mediocribus rebus posset esse contentus. Nam ne nos quidem in optando admodum insanimus. Si Graecas noverit probe literas, Latinas autem mediocriter : ita tamen, ut vitia orationis prompte discernat : habeatque docendi, et instituendi planam ac facilem rationem, poterimus eo nos esse contenti. Merces sane illi a nobis persolvetur, aurei nummi quotannis sexaginta : victumque et tectum commode ut habeat curabitur, ad eandem videlicet modestiam et mediocritatem. Nunc cum videas, mi Niger, quantae haec mihi curae res sit, et quam sit recta et honesta ratio huius consilii mei : peto a te pro nostra summa coniunctione, ut curam et cogitationem aliquam suscipias, quo huic rectissimo studio nostro satisfiat : aliquem nobis invenire studeas, qui sustineat partes hac in re amoris et pietatis erga hosce populos nostrae, meamque optimam in meos voluntatem ipse re expleat. Quod si unquam videro fieri, ut hi quos charitate nimirum Christiana in filiorum loco diligo, sectentur eas artes, quae liberales sunt, avocantque ab omni sordida et inquinata cupiditate habendi : nae ego illi (crede mihi) cuiuscunque opera hoc assequar, plane me obstrictum, et in perpetuum obligatum esse profitebor : omnique studio diligentiaque curabo, ut suum is huiusmodi officium non male a se positum sit iudicaturus. Hac eadem de re ut Lazarum nostrum appelles, cum eoque accurate colloquare, vehementer a te peto : mihique ut primo quoque tempore rescribas. Vale mi Niger, et Bembo meo summo viro plurimam salutem verbis meis dic.

44. Urbini principes ingenii ac litterarum.

Hic paulum quum requiessem, Exposui vobis, inquam, quemadmodum quidem potui, et vim utilitatemque Philosophiae, et eius viri qui rite ac legitime philosophetur, speciem atque formam. Quae mea expositio universe facta, satisne respondere videatur, vestrum iam est iudicium.

Mihi quidem et magnitudo rei, et brevitas temporis, et me hercule, rem, si quo modo ea est, fateri volumus, mei etiam ingenii ad tantum tollendum pondus exilitas, vehementer obstitit, quo minus vobis omnia, quemadmodum quidem cupissem, potuerim exprimere : in quo non recuso, quin meae tarditati culpam non Philosophiae ipsi assignetis. Hic Gallus, sane quam probasti tu mihi, Sadolete, defensionem tuam, inquit nec video, Philosophia quid possit esse divinius. Itaque ego, qui in eam antea propensio ne animi ferebar, nunc plane illius amore totus ita ardeo, ut non sim eam unquam e complexu meo dimissurus : illud aveo quam maxime, et quam primum, ut ista quae sunt a te disputata, in commentarium referantur, quo ocius queam exemplum Urbinum mittere ad meos amicos, taleis viros, qualeis tu quoque in primis existimas. *Summos* et singulareis dicis, inquam, quorum conventu apud lectissimam omnium foeminarum Elisabetam reginam Umbriae illa civitas atque adeo Italia omnis ornata est. Vero, nec iniuria, inquit, non enim uspiam alibi terrarum, neque nostra, opinor, neque antiquorum memoria, tot et taleis principes ingenii ac literarum facile uno in loco quispiam possit nominare, quot nunc Urbini praeclarum coetum constituunt quippe cum illic adsit et Petrus Bembus maxima celebritate et nomine vir : quem praeter eximiam omnis virtutis et humanitatis laudem, vere parentem cum Romanae veteris, tum recentis huius Italae eloquentiae possumus appellare : et duo fratres Italiae vel praecipua lumina, Fredericus et Octavianus Fregusii, nobilitate, dignitate, prudentia, literis maxime illustres : itemque spectatum ac nobile par Baldasarus Castillioneus, et Caesar Gonzaga : qui militaribus ambo et bellicis virtutibus insignes, ad illam fortitudinis laudem, optimarum quoque et literarum, et artium, non inferius decus addidere. Quanquam ne singulos colligam, illam ego urbem hoc tempore, non hominum cuiusque modi domicilium, sed Musarum diversorium esse puto. At ego, inquit Citrarius, habeo statim queis cum communicem, familiareis hos nostros, quorum quotidianis coetibus domus

tua, Galle, celebrabatur, Camillum Porcium, et Blosium Palladium : quorum ingeniis, spectabilique morum et sermonis elegantia soliti sumus omnes apprime delectari : Etsi, quanquam uterque utramque, tamen alter eorum oratoriam magis laudem, alter poeticam est prosecutus : Tum autem Camillum Paleotum, et Philippum Beroaldum, hunc iuniorem dico : Nam ille senior haud sane usquequaque doctorum iudicio idoneus est qui probetur : hi autem duo suis ingenii et virtutum ornamentis, non municipio Bononiensi modo, unde oriundi sunt, sed huic urbi tantae, non exiguum decus potuerunt afferre. Nam Evangelistam Mathalenum, tuum familiarissimum, Sadolete, quemque nos omnes plurimum ipsius merito, et quanquam doctus admodum vir est, humanitatis tamen ac liberalitatis causa praecipue diligimus ; quo ego gaudio sublatum iri puto, cum te operam hanc navasse Philosophiae laudemque ex eo consecutum esse intelliget ? Utinam quidem inquam, talibus ingeniis, mea haec opera et voluntas iure probata sit. Sed quid ait nobis Phaedrus ? Egone ? inquit : te alieno quodam in hominum genere tuum istum sapientem, tanquam in somniis constituisse. Nam his quidem hominibus, quibus cum vivimus, mea sapientia ad manum semper futura est paratior. Quae quum essent dicta, surreximus omnes, aliquotque deambulationibus ultro et citro factis, reliquum convivio, variisque sermonibus, Phaedro in primis multa facete, urbaniterque dicente, hilarem et laetum consumpsimus diem.

45. Quam vitam vulgus liberalem appellat ?

Hoc nimirum est, in quo vita communis tamquam in scopulo erroris alliditur, quod omnes pene homines divitias putant et magnitudinem pecuniae ad vitam bene ac laute agendam, maximum simul adiumentum, ornamentumque exsistere. Atque hoc fortasse non usque quaque falsum est, magna enim commoda atque adiumenta hominibus, non ad

vitam solum, sed ad usum etiam exercitationemque virtutis, a pecunia parata atque a domesticis opibus sunt. Sed hac opinione et sententia longius ductos, nescire sibi constituere finem, et modum ignotare tam quaerendi quidem, quam etiam utendi : nullam hac ego statuo pestem in humano genere perniciosiorem incidere potuisse : per quam, quod patet scilicet, et perspicuum est, hominum inter se societas et fides iampridem sublata pene, et de vita tota exterminata est. Ast ego contra contendo, domum, eam quae divitiis, pecuniaque redundet, necessario omnis recti moris, et propter eam caussam vitae quoque pacatae ac iucundae expertem esse. Neque ideo dico, quod paupertatem et inopiam e contrario adsciscendam putem : facile enim adsentior Regi sapientissimo Deum obsecranti, ut nec divitias sibi, nec paupertatem, sed tantum ad degendam vitam donet necessaria : quam item sententiam, pater ille philosophorum, noster Plato comprobat. Sed cum flagitia hominum et scelera maiora quaedam sint, alia minora, suscipiendum est, maioribus nimiam rerum copiam fontem originemque esse, minoribus inopiam caussam adferre. Ego vero malim eius familiae, e qua ingenuum puerum, adolescentemque instituimus, sic opes domi, et fortunas esse constitutas, ut dominus quaestum nullum faciat, sitque domesticis vectigalibus contentus, quae potissimum consistant in fructibus praediorum, ea porro suppeditent ad usum cultumque quotidianum, non modo commode, verum etiam liberaliter : sed quibus dispensandis frugalitas adhibeatur : nam luxum, et opulentiam, et varietatem supellectilis, multiplicesque domi ornatus, atque cultus, tamquam vitae venena in primis fugienda esse duco : frangit enim, et conterit vim totam virtutis, animumque prorsus dissipat illa abacorum, mancipiorum, gemmarum, tabularum pictarum, vestisque stragulae elegantia, ac varietas, suique inani in admiratione detinet : ut vanissimis studiis homines occupati, ad ea quae sunt virorum industriae nervos et continentiae nequeant intendere : ac tunc minime, si in quotidianis epulis, et iis quae epulas sequuntur, ludis, iocis, cantibus, festivis lepi-

disque dictis, omnis et vitae et pecuniae fructus reponatur. Hoc enim ex genere vitae, et assiduis domi deliciis, vini, cibique affluentia, ac quotidianis quodam modo lustris, cum dies, et horae, et tempora in aliqua semper voluptate consumantur, non modo feroces, et infesti et arrogantes animi adolescentium fiunt, sed immoderati etiam, et effrenati, et crudeles, atque in omni genere depravati : ut in naturam mentemque tyrannicam evadant, nihilque iudicent rectum, nisi ipsis quod libuerit, ceteros autem homines pecudum ac iumentorum instar sibi servire statuant oportere : ut confitendum plane sit, qua in domo, atque adeo qua in civitate huiusce modi vigeant mores, sementem in ea omnium malorum et calamitatum esse iactam : nec fieri posse, ut status illius reipublicae aut diu quietus, aut in universum diuturnus sit. Atqui hanc vulgus liberalem vitam appellat : falso istud quidem, uti alia multa : quippe cum ex hac potissimum consuetudine vivendi, his profusis et luxuriosis sumptibus, avaritiam exsistere necesse sit, illam violentam et rapacem dico, per quam nationes urbesque evertuntur.

46. Ad utramque orationem puer erit imbuendus.

Revertamur ad puerum eum, quem in manibus habemus, magistrumque illi praeficiamus e litterario ludo, cuius mores probati sint, et diligentia in docendo cognita : qui ita quotidianum pensum legendi et scribendi a puero exigat, ut nulla in re fit asper, nec minis, aut violentia utatur ; summopere enim cavendum est, ne eas litteras odisse incipiat puer, quas nondum potest ipsarum caussam diligere : spe ille potius et laude provocandus est, interdumque ex pacto agendum, ut cum plures horas sibi ipse sumpserit ad pueriles obeundos lusus, unam aliquam praebeat magistro. Legendi ergo et scribendi prima praeceptio est pueritiae, et primum rudimentum : quod prompte et celeritur facere debet puer, ac sine ulla dubitatione vel minima nosse litteras, vel ipsas per sese, vel in syllabis dictionibusque con-

iunctas : nec nosse solum, sed pronuntiare commode sonos vocis simplici rectoque, litteris neque oppressis nimium, neque expressis : itemque perlegere cursim quidquid scriptum oblatum fuerit : idque et prorsus et rursus retro contraque revolvere : haec enim quamvis minima videntur, tamen quoniam fundamenta sunt ceterorum, firmius sunt statuenda, immorandumque in his aliquanto diutius, quoad plane resideant, atque comprehendant. Quod autem de litteris, vel de litterarum potius elementis ac notis dictum est, non de Latinis tantum, sed de Graecis quoque volumus intelligi : harum enim utramque linguarum ab eo volumus addisci, qui ad eximiam spem summae virtutis alatur : utriusque enim maximi et doctissimi auctores sunt, omniaque doctrinarum genera in utraque egregie sunt tradita : tum autem prudentiae, sapientiae, eloquentiae utrobique summa vis, et ita nexa inter se, ac mutuo se continens, ut qui alteram sine altera perceperit, debilem quiddam et mancum esse adeptus videatur. Ad utramque igitur et Graecam et Latinam orationem et legendis et scribendis litteris statim de principio imbuendus est puer : in quo illud primum admodum occurrit laudabile, quod est in more positum, ut simul cum litterarum notis, elementa quoque Christianae religionis in puero insinuentur : nam, ut dictum est, nec virtus, nec doctrina, nec spes honestae aut beatae agendae vitae ulla est, qua non pertinet, nec comes est religio : gravesque tum sententiae summorum auctorum proponendae illi sunt, ad sanctitatem vitae, et ad exemplum fugiendarum aut expetendarum rerum pertinentes, quas animus tener bene apprehendat, deferatque secum in omnem posteriorem vitam.

47. Quatenus tradenda est ars grammatica ?

Sed hanc consuetudinem legendi iam scribendique familiariter sequitur continuo grammaticae ars : cuius nomen ductum quidem a litteris, tenuem videtur habere appelatio-

nem, sed est eius facultas uberior : non litteras enim solum, et nomina, verbaque, ac reliquas omnes orationis partes, sed poetarum quoque et oratorum cognitionem ita complectitur ei pertractat, ut parvum in iis relinquere videatur velle aliis artibus quibusdam locum : quod meo est animo non tam grammatices proprium, quam eorum qui ad suam ex aliis generibus facultatem doctrinamque ostendandam, huius artis nomine abuti voluerunt. Scripserunt enim de ea complures docti viri, cum Graeci, tum Latini : sed alii modo, presse castigateque nonnulli, multi abundantius. Sed nostrum non est enumerare scriptores : potius illud videamus, quomodo et quatenus grammatices tradenda puero est : neque vim artis totam, sed captum aetatis illius consideremus : nam si qua sunt in illa arte difficilia et ardua, non tam necessariis quam subtilibus implicata disputationibus, reiiciantur in id tempus, cum aliis pluribus disciplinis instructus adolescens, otium conterere in huiusmodi quaestionibus poterit : quae tunc ultro sese illi offerent, et ex aliena quadam facultate acutius disceptabuntur : tenerum quidem pueri animum onerare his difficultatibus, nullius consilii est. Quid enim illi proderit nosse controversiam, utrum participium sit pars orationis, an redigatur sub verbo : et utrum vocabuli an nominis in rebus appellandis potior usus sit, et similia multa, quae ne intelligentibus quidem admodum usui esse possunt ? Potius mihi is ad illa aperte et simpliciter perdiscenda ducatur, quae necessariam habent utilitatem. Ad dictionum vero silvam ita traducatur, ut sine ulla ambiguitate addiscat octo illas pervulgatas orationis partes : quarum singularum proprietates, et quasi insignia quaedam, debet cognoscere, ut sciat internosse. Sed haec, quae in puerili disciplina commodius traduntur, perstringenda tantummodo nobis sunt, indicamus enim iter dumtaxat, non disciplinam ipsam tradimus. Sequuntur flexiones quatuor primarum partium orationis, quarum tres casibus, verbum ipsum temporibus tantum inclinatur, quae probe et penitus memoriae mandandae sunt : earumque varietas facillime est et familiaris-

sime discernenda : tum autem qui cuique verbo casus subsequatur, quique antecedat, haec enim summa est meo quidem animo grammaticae facultas, scire ita struere et contexere orationem casibus, numero, genere, temporibus, ut nihil sit perturbatum, nihil non concors, nihil non inter se apte cohaerens et consonum, quod tam in versibus, quam soluta oratione tenendum grammatico est : est enim et huius artis propria quantitatis syllabarum notio, et quis cuique carmini pes conveniat, nam verborum et nominum, quae communi analogiae praevaricata sunt, et discrepantes a consimilium ceterorum ratione induere formas, usus et cognitio, non tam scrupulosis anxiisque praeceptis, quam ex bonorum auctorum crebra lectione percipienda est : quod idem de recte scribendi scientia, quae Graece orthographia est, dicimus : hanc enim onerosam et difficilem pueris ad noscendum, si per regulas praeceptaque tradamus, assiduus legendi scribendique usus melius confirmat, et in universum tota grammaticae ars plurimum communi consuetudine loquendi, et veterum doctorum auctoritate nixa est : cuius extremum et finis est scire apte construere, et coagmentare orationem, ut nihil discors in ea, neque praeposterum sit : idque tum fusa oratione, tum carmine, in quo syllabarum praeterea quantitas expendatur. Hoc cum efficere poterit puer prompte et parate, atque ut in agendo nihil haesitet, est enim propterea quod haec ars fundamentum est, et veluti solum reliquarum artium, ut si ea debiliter comprehensa sit, omnem super exstructionem nutare oporteat, diligentius in ea elaborandum, optime ut teneatur.

48. Exercitationes et praecepta rhetoricae.

Cum inquam fuerit haec puero bene percepta, et cognita, tum audentius quidquid libuerit oneris est illi imponendum : nam et ipse his nodosis et minutis difficultatibus expeditus, quae laborem animi in puero non mediocrem, delectationem

habent propemodum nullam, tamquam equus modo domitus gestiet in campos procurrere liberiores, et suarum virium, suique ingenii aliquod periculum facere : ita quae sequentur iam non laboriosa illi, sed grata iucundaque erunt. Igitur e vestigio ad exercitationes et praecepta artis rhetoricae traducendus est : cui eadem quidem quae ipsi grammaticae subiecta est materia, nominum et verborum videlicet, et omnis formandae componendaeque orationis, verum alio modo. Illa enim, ut diximus, sat habet struere aptam inter se et congruentem personis temporibusque orationem, aut carmen suis pedibus et numeris integrum componere, eoque functa officio quiescit, nec habet caussam ulterius progrediendi. Rhetorica vero hoc quidem accipit ab illa, tamquam sibi necessarium, sed nulla est in necessariis dignitas. Itaque sic excolit acceptum atque exornat, ut illo apparatu instructuque orationis nihil fieri possit admirabilius. Hac de arte plura dicenda essent, quippe e qua tantum sit humanae vitae ornamentum, nisi in Cicerone praeclarissime expressa essent omnia : quem et meo hortatu, et voluntate tua assiduum in manibus, Paulle, geris : hic enim tibi et nunc, et postea, et semper legendus est : nec legendus solum, sed omnibus intimis sensibus et modis devorandus : nulla est enim laus prudentiae, nullum lumen orationis, nulla sententiarum dignitas, nulla verborum, nullus in dicendo lepos, nullum acumen ingenii, nulla vis animi, quae non in eo non dicam appareat atque exstet, verum ita emineat, acrisque ad permovendum vehemensque sit, ut torrente quodam omnium suavitatum obruat sensus animosque legentium. Sed etsi in hoc uno omnia insunt, quae ad huius praeclari generis facultatem videntur esse requirenda : praetereaque et doctrinae et sapientiae maxima cum his coniuncta vis : tamen ubi te ad huius imitationem conformaveris, neque colorem solum, sed succum etiam et habitum illius orationis fueris nactus : tum legendi ceteri quoque tibi sunt auctores Latini, Graecique, tum oratores, tum etiam poetae. Est enim huic aetati, in qua tu es, Paulle, et vero etiam consequenti magno ornamento simul et emolumento, videre mul-

torum ingenia atque scripta : quod et multa addiscuntur a multis, quae ad usum et manum quotidie opportuna accidere possunt : et lectio varia ac multiplex iudicandi vim prudentiamque confirmat, quae si in uno dumtaxat genere versetur, nec habeat qui cum quid comparet, non delectu ullo ad id se applicavisse, etiam si sit optimum, sed casu et fortuna in illud solum incidisse videatur.

49. Poetice est pars praecipua musicae.

Quid de Poetis dicam ? quorum cernis profecto et quae in utraque lingua copia, et quanta non solum ad demulcendos, verum etiam ad impellendos animos nostros vis sit : atque hoc genus sanctum, et Diis amabile semper habitum est : non enim tam studio humanave cogitatione, quam spiritu quodam divinitus inflati, videntur illa effundere, quae sonis numerisque constructa aures sensusque corripiunt : et ad permiscendos animos nostros tamquam illiquefacta funduntur : ut in quamcumque impulerint partem, non videatur posse obsisti. Quo etiam ex illa Platonis republica, quam is in libris perfectam condidit, poetae exire iussi sunt, ne si ad suum arbitrium, et quodcumque eorum animis libuisset scribere ac divulgare aggressi essent, quod in communi liberum erat Graecia, civium suorum mores facillime corrumperent : et revera plus est in hac facultate momenti, quam quisquam forte suspicetur, tum ad frangendos, atque enervandos voluptate, aut ceteris permotionibus animos, tum rursus ad eosdem virtute et constantia corroborandos. Sed quoniam hoc videtur esse communis Musicae officium, cuius pars vel praecipua poetice est, eaque adeo sedes et basis, qua tota ars Musica collocata est et sustinetur, de ea est aliquid dicendum, si quid nobis velimus hoc cursu et hac commemoratione artium ingenuarum, et quem ad finem contendamus prius exposuerimus. *Pau.* Equidem pendeo animi quo tu loco statuas esse Poetas, et illam Platonis sententiam pertimesco : sed tamen cum

recordor me te auctore cum illis vivere iamdudum familiariter, eosque saepius in manibus habere, consolor ipse me, nec vereor ut tu mihi illam vel oblectationem et requiem a severioribus studiis, vel etiam ut ego experior non mediocrem utilitatem ad linguam et vitam excolendam, adimas. *Iac.* Polite ista admodum et perquam commode, Paulle : itaque gaudeo tua ista in expendendis scriptoribus Graecis et Latinis attentione ac diligentia, in qua specimen nobis eximium tui ingenii praebes : mihi quidem non parvam laboris partem ademisti in discernendis et diiudicandis poetis, nam hos modo quos commemorasti, et alios fere horum similes non legendos solum, sed habendos tibi perquam familiares puto: nec usque eo Platonis illud interdictum horreo, ut non putem bonum morem potius poetis, quam poetas bono mori legem esse laturos. *Pau.* Nequaquam mi pater, intelligo enim quos dicas, nisi si quando illi legendi sunt, ut excellentium et gravium poetarum virtus et sapientia magis eluceat. Sed quod de Musica te velle dixisti dicere, id ego audire sane aveo. *Iac.* Quippe qui in hac arte patris tui cura apprime a pueritia instructus fuisti. Sed ego non ea dicam quae huius vulgatae et trivialis Symphoniae sint, cujus auribus tantum suavitate demulcendis omne est lenocinium, et quae in sola pene vocum flexione ac modulatione ipsa consistunt : hanc enim velut bonis moribus inimicissimam iure et ab republica sua exclusit Plato, et in suas civitates Ægyptii numqam admisere. Sed dicendum est de vera Musica, cuius animis ab agresti illo rigidoque sensu ad urbanitatem reflectendis, et eisdem rursus ne mollitia nimia perfluant, virtute et constantia vinciendis, totum officium est. Sed cum aetas puerilis et paullo etiam magis adolescens plurimo igni citata et vivida, quiescere nullo pacto queat, semperque in agitatu motuque sit, nec garriendi, cursandi, clamandi constituat modum, quas putaverunt artes regendae illi aetati et temperamento quodam fingendae idoneas potissimum esse, eas primas adhibuerunt : gymnasticam videlicet et musicam, quarum altera corporis in puero motus, altera animi, effusos

ipsos per sese et immoderatos, sub leges quasdam redigeret : ut cum suos naturae cursus impetusque permisisset, affingeret tamen quidam ex arte et disciplina, quod cum venustatem omnibus illis motionibus, tum corpori valetudinem, animo modestiam praeterea posset adferre. Unum etiam reliquum est commune gymnasticae et musicae agitandi corporis artificium, quod in choreis situm est, et in ipsa arte studioque ad fidium sonitum tibiarumve saltandi. In quo ipso tamen musice priores partes obtinet, ad quam quoniam de gymnastica satis est dictum, eis coloribus quos probavit antiquitas in puerorum animis depingendam iam transeamus. *Pau.* Quam vereor, ne hoc quidquid ego didici musices, ex eo genere sit, quod tibi minus probandum esse videatur, quamquam ego iamdudum ab illo prope desuevi, et ut tu videre potes, minus minusque eo quotidie delector, et ad hanc graviorem et nobiliorem musicen, quam conspicor in poetis, libentius me dedo, quae animum meum illis numeris et dignitate ac gravitate sententiarum prope in caelum rapit. *Iac.* Iam erit concentus non solum ad bonos mores et disciplinam utilis, sed etiam, ut mea fert opinio, iucunditate ipsa, et amoenitate longe superior : non enim dulci quodam veluti decocto satietatem cito adferet, et sensus fastidio abalienabit, sed suavitatem auctoritate condiens tenebit diutius, atque in adolescentium animis insinuans praeclarum illud foedus honestatis cum voluptate, quod caput esse bonorum morum diximus, idoneum erit id et conciliare in animo, et conservare. Hanc ego musicam et tibi Paulle et omnibus adolescentibus, qui virtutis volunt esse studiosi, et sectandam cupide, et firmiter comprehendendam praecipio, quamquam tu quidem nostra monita tuo studio antecedis. Nam ista quae nunc vulgo et passim celebris est musica, quid habere in se potest recti ac decori, quae aut nulla verborum ferme et sententiarum sede suffulta sit, aut si etiam habeat subiectam aliquam sententiam, illius tamen sensum ac notionem concise fractis ac vibratis inter fauces vocibus infuscet et impediat : quasi vero idcirco reperta musica sit, non quae mulceat temperetque animos,

sed quae auribus tantum deserviat et imitetur volucrum ac bestiarum cantus, quarum tamen similes esse nollemus : at hoc est corporeum animum efficere, et minime compotem sui : a quo iure optimo cum abhorreret Plato, huic esse tali musicae in sua civitate noluit locum. Quamobrem non illa haec est digna homine libero, sed quam paullo ante protulimus, laudabili sententia, gravibus numeris, voce virili ad studium virtutis animum accendentem : cui si adiungatur praeterea motus agitatioque corporis ad sonum numerumque conversa, iam saltatio exoritur, et choreae ipsae, quarum nos usum non penitus interdicimus adolescentiae, raro modo illae et sobrie exerceantur : non inutiles erunt exhilarandis animis, et ex studiorum labore et contracta illa cura reficiendis : verum missas eas facere celeriter oportet, et saltationem totam deserere : mature enim fit inepta, neque potest cum gravitate virili, sedatioribusque moribus ullo pacto in unum locum tempusque convenire : paullatim deinde quoque cantus et vocis modulatio relinquenda est, ut ne utamur ea ipsi, non ut ne audiamus utenteis alios. Nam auditio cuicumque aetati concessa sane sit, etiam senectae, et ultimae, dum modice fiat, neque nimis dedita opera expetatur. Rhythmos quidem et sententias numeris astrictas ex illo genere gravi, sive in legendis poetis, sive in carminibus interdum etiam pangendis, omnis vitae comites volumus esse, habent enim amoenum iuxta atque opportunum a severioribus saepe studiis et publicis curis occupationibusque diversorium.

50. Omnis cognitio et scientia est liberalis.

Cum omnis cognitio et scientia est liberalis, tum autem artes hae, de quibus iamdudum loquimur, illius ipsius quam appetimus philosophiae, tamquam unius magni corporis quasi membra quaedam sunt : quidquid enim in rerum naturis tractandis noscendisque, quocumque ille genere sint, et in illarum vero intuendo versatur atque inhaeret, totum

sub ditione philosophiae est, ac lumine illius, tamquam veritatis radio illustratur : porro in philosophia quaedam sunt, quae ceterorum maxima praestantissimaque habentur : qualis est de summo omnium bono cognitio, deque eo quod summum est, quodque ceteris caussam ut sint praebet et si qua sunt alia eiusdem modi naturae illius eximiae et principis cognata atque affinia : ad quae intelligenda, quoniam in excelsissimo mentis loco posita sunt, per huiusmodi studia et disciplinas, tamquam per clivos gradusque scanditur : multaque adhibentur ex hisce ipsis facultatibus mentem animumque adminicula, quae in sublime tollunt : sine quibus labare atque errare ferme esset necesse, ut harum in hac quoque parte egregia artium opera utilisque reperiatur : verum illa palmaris, quod avocant animum a sensibus, ipsumque docent, per semetipsum quae consideranda sunt, ea seorsum a sensionum corporearum strepitu, solum in semetipso considerare et cernere, quod est maxime certum et proprium philosophi munus : nam cum naturas rerum omnium, et illud ipsum quod sunt, vel summoverit procul natura a conspectu nostro, vel quas etiam obtulit, et tradidit nobis pene contubernale, tantis eas tamen in volucris contexit, ut aures, oculos, ceterosque sensus permoveant modo, menti autem ipsi, conanti apprehendere illud quod quidque est, offundant tenebras : non fuit mediocris operae, neque exigui laboris, facere animum ipsum sibimet viam per mediam turbam, concursionemque sensilium, et illud ipsum invenire, quod quaeque res una est, unum ipsum scilicet idemque semper, neque tempore ullo, neque mutatione variabile. Quod quoniam nullo pacto fieri potuit, nisi coercitis et reiectis sensibus, ac illis etiam imaginum similitudinibus, quae ex sensionibus rerum exterarum introductae in animum atque impressae volitant vagae, contemplantique obstrepunt, silere penitus iussis : idcirco ut quaeque ars sic se gerere animum, atque a sensibus quoad potest discedere, redireque in sese maxime docet ; ita maxime ad philosophiam utilis ea, atque opportuna est, quod in his numerandi metiendique disciplinis

praecipue licet cernere : illae enim menti ea tractanda cogitandaque proponunt, quae a motu, quae a sensu, quae a tempore, quae a varietate, a discrepantia a contrariis pulsionibus penitus remota alienaque exsistunt perpetuamque obtinent et immutabilem in se ipsis constantiam ac veritatem : quae cum sit familiaris philosophiae facultas, mathematicae istae artes et scientiae, vel quod animum sic erudiunt ut solus ad speculandum sua vi niti et confidere consuescat : vel quod ipsae quoque philosophiae partes et membra quodam modo sunt, ad illam ipsam aspirantibus noscendae quadam tenus, nec sine honore debito sunt praetereundae. Nam quod magnitudo earum deterreat nonnullos, et desperare pene sibi cogat, non est hoc artis nec difficultatis ex arte, sed imbecillitatis, et desidiae vitium : equidem non eo inficias, esse in artibus ipsis non difficultatem mehercule, neque operositatem (ut ita loquar), abhorret enim res a natura verbi, sed subtilitatem potius, et abstrusionem quamdam rerum intelligibilium nequaquam expositam populo, nec patentem hebetibus tardisque ingeniis, quae tamen acutorum, et valentium ingeniorum aciem non effugiat, quo illa parvo ductu exiguaque monstratione intenta tam facile tamque celeriter penetrant, non ut alienas et inhospitas peragrare regiones, sed uti in suo regno dominari videantur : est enim permagna hominum ingeniis innata vis, in quibus illa hominibus ab natura bene locata et constituta sunt ; atque ita magna, ut neque numero rerum, quas concipiunt, apprehenduntque, vincantur, neque amplitudine et mole opprimantur, nec tenuitate acumineque frustrentur. Sed quemadmodum oculi, quibus a natura vegeti et perspicaces sunt traditi, facili lenique conversu in quam secumque dederint partem, celeriter omnia et sine labore quae volunt contuentur : Sic mens bene instituta et subornata a natura ad omnia comprehendenda, in quae intenderit, est perspicax.

M. ANTONIUS MURETUS (1526-1585)

51-55 : Orationes : —
51. Or. XV. 1567 ; 52. Or. IX. 1577 ;
53. Or. XVI. 1582 ; 54-55. Or. XVII 1583.

51. Iurisprudentia bonis litteris ornanda.

Ego igitur, ut primum puer grammaticorum et rhetorum praeceptis visus sum utcunque imbutus esse, leviter gustatis dialecticae principiis, ceteris autem philosophiae partibus ne a limine quidem salutatis, nulla Graecae linguae intelligentia, nullo rerum usu, nulla antiquitatis cognitione instructus, animum ad ius civile appuli, et iis doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Iamque eo processeram, ut, quae tum praecipuae laudes habebantur, et in argumentando satis acutus et in respondendo non incautus et quacunque de re ageretur, abunde loquax essem, et, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno spiritu citare, multorum interpretum nomina recensere, multos versus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, et peristylia et intercolumnia nullo negotio numerare quamlibet multa possem. Cum ipse me eo nomine circumspiciebam, meque pulcrum ac beatum putabam, *tum uno ore omnes,* ut ait comicus, *omnia bona dicere et laudare fortunas meas,* qui tantula aetate tantam mihi, ut ipsi putabant, sapientiae, ut res ipsa docuit, stultitiae et inanium opinionum supellectilem comparassem. Iam omnes me mei foro et cancellis et subselliis destinabant, magnamque in spem venerant, rabulam me aliquem non in postremis fore, confidentem, acrem, contentiosum, praesertim cum et natura essem firmis lateribus et voce magna, et, quod caput est,

illi me quos dixi magistri, si non multum sapere, at certe, quod apud eos pro eodem erat, multum audere multumque clamare docuissent. Quid verbis opus est? Inibi iam erat, ut illud vitae genus ingrederer, cum Deus — Deus enim fuit, neque hoc mihi ex animo excuti potest, — Deus igitur effecit, ut quaedam Budaei et Alciati et aliorum eiusdem notae hominum scripta, quae nunquam ante illud tempus adspexeram, in manus meas venirent. Quae cum evolvere coepissem, passimque in eis multa reperirem, quae de magistris meis nunquam audissem, multas sententias, quas illi me ratas ac firmas esse docuissent, gravissimis argumentis convulsas ac labefactatas, multa ex Graecis scriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebrae essent : nolite quaerere, quid mihi animi fuerit. Visus mihi sum de coelo decidisse, aut in alium quendam orbem delatus esse, neque aliter affectus sum, quam egeni et inopes homines interdum solent, qui cum totam noctem somniarunt se divites repente factos esse, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contractarunt, experrecti, omnia domi suae obtenta telis aranearum vident. Quid facerem? ego ille paullo ante tumidus et ferox, cum mihi derepente vultus, animus, verba cecidissent, iamque suffusus pudore, verecundarer inter eos versari, qui de me ita magnifice senserant : subduxi me clanculum ex illis, in quibus diu merueram, castris, et in Graeciam navigavi, id est, ad Graecarum litterarum et disciplinarum magistros me contuli ; eademque opera perlustravi etiam vetus illud Latium, id est, omnes ad unum veteres linguae Latinae scriptores diligenter et accurate pervolutavi, sedulo undecunque omnia colligens, quibus mihi iurisprudentia instructior et ornatior fieri posse videretur.

52. *Oppugnantur litterae bonae.*

Iuvat me memoria repetere tempus illud, cum tanti ad me concursus fierent, quanti multis annis antea ad neminem facti erant ; cum tanta quotidie multitudo conflueret, ut

eam locus ipse vix caperet, eaque non adolescentium modo discendi cupidorum, — quorum nonnulli multo facti meliores magistro, quae tunc ex me discebant, ipsi hodie alios docent, nonnulli etiam ad magnas reipublicae partes admoti, quae tunc audiebant, ea nunc re ac factis exsequuntur, — sed et senum primae auctoritatis summaeque eruditionis, qui et praesentia sua cohonestabant disputationes meas, et exemplo suo iuvenum animos ad honestarum artium studium excitabant. Neque haec gloriandi caussa dico ; sed quod magno cum animi mei dolore videam, quantopere conversa hac commutata sit rerum facies, cum ita refrixerit ac relanguerit in hac quidem urbe impetus hominum ad haec studia, ut, nisi Deus labentibus et ad interitum vergentibus litteris opis aliquid attulerit, summa omnium bonarum artium ignoratio brevi tempore consecutura videatur. Quid enim est, cur quisquam meliora sperare, aut cur non etiam graviora metuere debeat? Negligitur lingua Latina, quae patrum ac nostra etiam memoria ita florebat, ut nusquam propemodum homines nisi Romae bene Latine aut loqui aut scribere putarentur. Graeca, cuius discendae caussa vir sempiterna laude dignissimus, Petrus Bembus, cum adhuc adolescens esset, in Siciliam profectus est, quod ibi meliores illius magistros esse audierat : cum multi illis temporibus eadem de caussa usque in Graeciam proficiscerentur, cuius in hac urbe conservandae aut potius conserendae gratia Leo X. — cuius nomen apud omnes litterarum amantes in perpetua veneratione esse debet, — ex ultima Graecia accersivit huc homines eruditissimos et lectam ingeniosorum adolescentum manum : Graeca, inquam, lingua, omnis elegantiae magistra, omnium ingenuarum ac liberalium artium parens, altrix, conservatrix, ita iam iacet ac sordet, ut, qui eam docent, soli prope in scholis relinquantur. Stulti adolescentes, Latinae linguae vix primis elementis utcunque perceptis, Graeca ne salutata quidem aut statim valere iussa, ad iurisprudentiam aut ad medendi artem properant, illic tantum gloriae, illic divitiarum certissimam spem propositam

dictitantes. Stultiores liberis patres ultro adiuvant praeproperam et inconsultam filiorum cupiditatem, quasi verentes, ne quando penuria sit in civitate hominum, qui aut lites aut morbos serant et aut aegrotos remediis aut formulis ac cantionibus patrimonia iugulent. Oppugnantur interea litterae a non unius generis hostibus, quorum alii aperto Marte eas insectantur; alii cuniculis, cum aliud agere se simulent, earum exstinctionem ac disperditionem moliuntur.

53. Prisca et nativa Latinitas colenda.

Qui ergo Latina lingua eloquentes esse meditantur, iis hoc primum elaborandum est, ut Latine, pure, et quam maxime ex veterum Romanorum usu ac consuetudine loquantur. Nolite autem putare, laudem illam, quae quasi sanitate et integritate ac castimonia Latini sermonis continetur, aut parvam aut facile parabilem esse. Cum post restitutas a Medicea potissimum familia litteras infinita quaedem vis exstiterit hominum in omni genere eruditorum, cumque et nostra et patrum memoria homines summis ingeniis praediti tam multam in Latine loquendi studio operam posuerint, ut id prope unum operis habere viderentur, paucissimi tamen, quorum scripta, non dico sermonis vitiis careant, nam hoc quidem illorum nemini contigit, sed aliquam saltem priscae illius et nativae Latinitatis imaginem contineant, exstiterunt. Multorum falsa quadam Latini sermonis specie inducta et oblita oratio est, paucorum Latina. Duo in Italia summi viri duces ceteris ad hanc laudem capessendam et quasi antesignani fuerunt, Iacobus Sadoletus et Petrus Bembus, qui etiam propter eiusdem studii similitudinem Christophorum Longolium Belgam in deliciis prope atque in amoribus habuerunt. Non ita multo post magno in pretio fuerunt duo huius facultatis praecipui doctores, Patavii quidem Lazarus Bonamicus, in hac autem urbe Romulus Amasaeus : quorum in illo fecunditatem

ingenii admirareris, diligentiam et accurationem requireres; in hoc nihil admodum, quod ad boni et ex omni parte perfecti doctoris commendationem pertineret, desiderares. Brevi igitur innumerabilis quaedam hominum multitudo per Italiam effloruit, qui illorum exemplo incitati, horum disciplina ac praeceptis exculti, ad hanc bene Latine loquendi ac scribendi laudem incredibili studio incumberent, cum et Venetiis Iovita Rapitius et Patavii Benedictus Lampridius, et alii praestantes viri sitienti iuventuti fontes eloquentiae recluderent, et a principibus maximi honores iis, qui Latinam linguam egregie praeter ceteros callerent proponerentur. Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque aemulatione, tantis propositis praemiis, nemo adhuc exstitit, cui simpliciter et sine ulla exceptione ea laus tribui possit, ut bene Latine scripsisse dicatur. Nunc quod dicturus sum, nolim a quoquam durius accipi sed ita potius, ut profectum ab optimo erga vos animo et a singulari quadam mea erga nomen Italicum voluntate. Qui enim in Italia diutius aliquando quam in Gallia, ubi natus sum, vixerim, et iam pridem in hac orbis terrarum nobilissima urbe sedes ac domicilium collocarim, facere neque possum neque debeo, quin et Italiam et praecipue urbem Romani pari ac patriam pietate ac studio colam. Doleo igitur et indignor, cum quae laus, nostra ac patrum memoria, propria, ut dixi, Italorum fuit, ut soli ex omnibus Latina lingua perite ac scienter uterentur, eam nunc ita obsolevisse ac propemodum evanuisse video, vix ut iam tota Italia pauci quidam senes, qui eam utcunque sustineant, reperiantur. Interea exterae nationes, et, ut vulgo in Italia vocantur, barbarae hanc possessionem gloriae, tamquam a vobis pro derelicta habitam, occuparunt, iamque non obscure Latinae linguae usum et intelligentiam migrasse ad se, relicta Italia, gloriantur.

54. Maior Latinae quam Graecae linguae utilitas.

Dicamus licet: Heu quantum rerum ac sapientiae parari potuit eo labore, qui necessario nobis ad intelligentiam

usumque linguarum capiendus fuit. Haec una ratio tantum apud nonnullos potuit, ut publice persuadere conati sint, inutile esse totum illud studium, quod in Graecis ac Latinis litteris poneretur; sua cuique lingua philosophandum; meram insaniam esse, tantum operae ac temporis perdere, ut eum sermonem intelligamus, eoque utamur, quo uti homines multis abhinc saeculis desierunt; suae quemque non gentis modo, sed et aetatis sermone contentum esse oportere. Addebant, id eo facilius factu esse hominibus Italis, quod praeclara illa Graecorum Latinorumque monumenta iam pleraque omnia in eam linguam, qua vulgo utimur, conversa essent, ut, illo peregrinitatis quasi cortice ac putamine detracto, nucleis vesci et ut osse confracto succum ac medullam ipsam exsurgere liceret.

A qua opinione quoniam ita dissentio, ut avocandis a Graecae ac Latinae linguae studio adolescentibus ipsa fundamenta disciplinarum convelli ac labefactari putem, neque ullam pestem praesentiorem aut ullum certius exitium omnibus ingenuis artibus afferri posse arbitrer, quam si linguae illae, quae quasi sacraria quaedam earum sunt, negligantur. Duae praecipue mihi quidem caussae esse videntur, adolescentes, cur et Graecam et Latinam linguam amare et in earum utraque praecipuum studium ponere debeamus. Una quod Graece et Latine, Graece quidem et plures et praestantiores, sed tamen Latine quoque sat multi eiusmodi viri scripserunt, ut propter admirabilem quandam sapientiam, qua illi tanto supra ceteros mortales floruerunt, ut aliarum gentium homines cum eis collati idiotae quidam et agrestes fuisse videantur, dignissimi sint, ad quos intelligendos omnis ab omnibus elegantioris ingenii hominibus opera conferatur. Nunc accedit alia longe gravissima, quae nos incendere utriusque studio debeat. Nam cum earum linguarum, quarum usus eruditis cum vulgo communis est, unaquaeque et certis et angustis limitibus circumscripta teneatur, harum, de quibus agimus, usus toto propemodum terrarum orbe diffusus est. Italice loquentem soli Itali intelligent; qui tantum Hispanice

loquatur, inter Germanos pro muto habebitur ; Germanus inter Italos nutu ac manibus pro lingua uti cogetur ; qui Gallico sermone peritissime ac scientissime utatur, ubi e Gallia exierit, saepe ultro irridebitur ; qui Graece Latineque sciat, is, quocunque terrarum venerit, non intelligetur tantum, sed apud plerosque admirationi erit. Atque haec caussa vel maxima est, cur Graece aut Latine potius, quam Italice aut Gallice scribere, quicunque id egregie praestare possunt, debeant. Nam qui scribunt, aut utilitatem publicam aut gloriam suam sequuntur. Si utilitatem publicam : certe multo pluribus proderunt, si ea lingua scribant, quae apud omnes gentes, quibuscum modo aliquid nobis usus aut commercii est, intelligatur. Gloriam quoque suam longius latiusque diffundent, si ea scribant, quorum pulcritudo ab omnibus populis ac gentibus percipi queat. Qua in re maiorem Latinae quam Graecae linguae utilitatem esse fateor : intelligitur enim a pluribus. Itaque ad usum Latina potior est ; ad doctrinae copiam Graeca.

55. An sua cuique lingua philosophandum ?

Argumenta, quibus nituntur, qui contrariam sententiam tuentur, infirma prorsus et imbecilla sunt. Aiunt, veteres illos, qui tanta in admiratione sunt, sua quemque lingua philosophatos. Ego autem ita respondeo : si illis quoque temporibus lingua aliqua fuisset communis omnium, qui ubicunque essent, eruditorum, ignota ceteris, quales hoc tempore Graecam et Latinam esse constat, non est dubium, quin ea potius cogitationes suas explicaturi fuerint, quam ea, quae vulgo quoque communis esset. Aiunt, Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere et vigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Si in vulgi potestate mansissent, hodie Ciceronem non intelligeremus, quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quae

regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII. tabularum leges pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Et videmus, quae vulgari lingua abhinc quadringentos annos, scripta sunt, hodie non intelligi. Illae igitur linguae quotidie moriuntur, quotidie nascuntur, quae pendent ex libidine imperitae multitudinis, quas autem ex populi servitute eruditorum usus vindicavit, illae non vivunt tantum, sed immortalitatem quodammodo et immutabilitatem adeptae sunt. At quod temporis in linguis discendis consumitur, melius rebus ipsis cognoscendis impenderetur. Hoc argumentum ita demum aliquid valeret, si ab aliis scriptoribus verborum elegantia, ab aliis rerum cognitio peteretur. Nunc ita nobis a Deo consultum ac prospectum est, ut qui Graece Latineque politissime scripserunt, iidem etiam sapientissime scripserint, ut non ab aliis verba, ab aliis rerum cognitionem petere oporteat, sed utraque ex iisdem fontibus eodem tempore haurire liceat.

PETRUS VICTORIUS (1499-1585)

56-58 : Oratio habita in funere Cosmi Medicis Magni Ducis Etruriae, XVI kal. Iun. 1574.
59-60 : Oratio Florentiae habita.

56. Ingenuae artes apud Florentinos excultae.

Non cessavit etiam, cum sciret angustias patrimonii adversari saepe, ne optima ingenia bonis artibus expoliantur, huic malo remedium adhibere : aedificavit enim in ea urbe amplum domicilium in quo tenuiores publice alerentur, cunctis rebus provisis, legibusque diligenter latis, quae cogerent eos assidue exerceri et honestate vitae morumque tueri. Hinc etiam fluxit magnus ille proventus copiaque iurisconsultorum, theologorum, philosophorum, medicorum, mathematicorum, quae non modo civitatem nostram refersit, sed universam etiam Etruriam perlustravit, et decoris multum nostris sedibus ac locis ornatusque comportavit. Cum autem omnes gentes suo patrioque sermone delectentur, noster vero in primis elegans et copiosus non solum suis carus est, a nutricibus ipsum sugentibus, sed a peregrinis quoque et ceteris hominibus ametur, studuit etiam ut ille magis perpoliretur, academia ipsi erecta, in qua se adolescentes exercerent, eodemque tempore et copiae verborum et arti dicendi operam darent. Nec tamen cogitavit unquam, ut languidiore studio ab illis incumberetur in veteres Graecam et Latinam linguam, quarum haec nostra vestigium quoddam est, et quarum ope, plenarum doctissimorum et politissimorum auctorum ipsa amplificari et exornari facile potest, cum sine illis frustra omnis labor in hac re suscipiatur. Nam quantopere studia litterarum

et ingenuas artes omnes amavit, etsi facile ex eo quod modo a me dictum est, intelligi potest, inde etiam perspicitur, quod nobilem illam supellectilem vetustorum et Graecorum et Latinorum librorum, collectam cura ac studio maiorum suorum, et propria etiam diligentia, magnisque sumptibus auctum ac cumulatiorem redditam publicavit, et commodis omnium, non civium modo, sed peregrinorum etiam exposuit. Numerus auctorum ipsorum tantus est, magnique nominis scriptorum ut non cedere videatur tantopere illis celebratis et Alexandrinorum regum et Pergamenorum bibliothecis...

57. Urbis Florentiae exornata dignitas.

Quod autem abundat hac aetate urbs nostra egregiis opificiis, et iis, qui signa aenea et iis qui marmora faciunt, pictoribus, architectis ceterisque elegantiorum artium magistris, tantusque et tam exquisitus numerus ipsorum hic exortus est quantus fortasse vix in reliqua omni Italia invenitur, eidem acceptum referendum est, qui semper haec studia fovit, de quibus etiam multum intelligebat, et principes ipsorum in honore magno habuit, adolescentesque ad eos imitandos et laude et praemio excitavit. Cum enim (ut memoriae proditum est) propter copiam domestici marmoris multi Athenis eximii opifices extiterint, quod illic telluris vis naturaque bonum peperit, apud nos consilium studiumque nostri prudentissimi Ducis paravit, cum collegium etiam commune trium superiorum artium aedificavit, ut a pueris statim in ipsis exercerentur, et aemulatione etiam stimuloque admoto ad summam laudem in ipsis adipiscendam properarent. Principum vero et magistrorum ipsorum opera manuque usus est in urbe exornanda et ad summam dignitatem perducenda. Quae namque Europae hodie urbs est in qua plures imagines ex aere publice spectentur simulacraque ex marmore conservatoris nostri et sanctissimae ipsius cohortis ? ubi plures et elegantiores tabulae summo-

rum pictorum? cum antiquam curiam, grandem quidem illam, ut vocabant, et amplam, parietesque ipsius omnes ac lacunar curaverit picturis egregiis exornandos, non tantum formis et coloribus spectandis, verum etiam claris honestissimisque factis maiorum nostrorum, ac propriis etiam suis, quibus adversarios devicit, suspiciendis.

Quid dicam de amplissimis aedibus ornatissimisque in quibus modo vivebat, inceptis olim a privato nostro magni animi cive, qui spiritu condicionem fortunamque suam superaret, ab ipso tamen postea auctis et ad regiam amplitudinem propriamque suae personae dignitatem perductis, qua mole summa cura ipsius, infinitoque studio architecti elaborata (etsi nondum perfecta absolutaque est) nulla grandior nulla melior nulla formosior toto orbe terrarum invenitur. ... Quid de aquaeductibus fontibus colossis columnisque multis locis in urbe positis, partim Roma comportatis, partim e nostris terris lapidicinisque erutis : quarum etiam lapidicinarum nonnullae cura studioque ipsius inventae sint, unde saxa eruuntur variis coloribus distincta et quae lepore elegantiaque contendunt cum illis quae e Chio antiquitus Penteliaque ac ceteris insulis Graeciae effossa, in Italiam convehebantur et ornatui urbis serviebant...

58. Artes exquisitiores Florentiam evocatae.

Sed artes etiam non nullas, quibus carebamus, utiles vitae sive splendore plenas, huc evocavit, et quae prius erant, exquisitiores ut fierent, curavit, ut omnis civitas omni re ad bene beateque vivendum apta abundaret ac locupletior foret. In quibus est, quae texendo magnifica stragula, auroque atque argento distinguendo, ita cuncta imitatur ac pingit, ut exprimi meluis illa penicillo coloribusque non possint, cuius nobilis artificii vestigium apud nos nullum erat. Ne autem, mortuis illis quos magnis mercedibus datis huc accersierat, extingueretur, ut erudirent

gregem puerorum a se datum magistri illi optimi, studuit ; in quibus etiam alendis et praemio excitandis sumptus non parvos fecit. Superiora igitur et fortasse haec quoque, ad exemplar civitatis principis totius orbis fecit et nobilium Graeciae oppidorum. ... Non minus igitur quam Caesar Augustus gloriari potest ob studium ab se in ornanda urbe positum, qui non parvae laudi sibi dabat quod quam latericiam invenerat, Romam marmoream reliquisset.

59. Italorum sermo vetus sermoque novus.

Magnitudo imperii ac diuturnitas temporis, quo universis orbi leges dedit, fecit ut Latinus sermo funderetur ac multis provinciis familiaris fieret : sincerior tamen ille puriorque custoditus est donec exiguis finibus contentus fuit, nec radices extra Italiam egit. Quum autem in usu externarum gentium esse coepit, inquinatus est, et naturali earum barbaria conspurcatus : nam quum in urbem Romam recepta est peregrinitas, non parum Latinus sermo dignitatis amisit. Braccatis autem postea transalpinisque nationibus infusis, ut optimi auctores locuti sunt, omnis ille vetus lepos et linguae ipsuis candor extinctus est ; quantoque magis nos ille civitatem longinquis gentibus dandi viguit, tanto magis purissimus sermo foedatus est. Nam pergrini barbarique homines peregrinas ac barbaras voces invehebant, donec Romanorum Imperatorum ignavia Latinus sermo penitus extinctus est. Cum enim illi imperium tueri non possent, nec armis Italiam contra immanissimas gentes defendere, amissa sede sua sermo etiam interiit. Cum autem nunc hac nunc illae gentes Italiam conculcarent, ac nonnullae etiam ingenti multitudine magnam ipsius partem occuparent, diutiusque in ipsa dominarentur, factum est ut multas suas voces relinquerent. Necessario enim homines potentiorum, quorum in ditione sunt, linguam perdiscunt, ac suam licet elegantiorem, obliviscuntur. Nam omni dignitate spoliati

cunctisque aliis bonis exuti, aequo animo linguae ipsius maiestatem eripi sibi patiuntur. Inde etiam belli calamitas et quod mala secum vehat, cognosci potuit : nam quae paulo antea lingua cupide et longinquis hominibus expetebatur, et summa studio ab omnibus perdiscebatur, repente et suis hominibus et qui primo ortu eam familiarem habebant, negligi coepit et cum agresti rudique commutari. Neque tamen non aliqua vetera vocabula retenta sunt : magna enim est vis patrii soli ; verum illa quoque non parum depravata, et ita cum peregrinis barbarisque permixta, ut vix agnosci possint. In tanto igitur motu rerum omnibus concussis ac perturbatis, cum misera haec regis, antea fortunatissima, aliquot seculis post melior fortuna uti coepisset, nec tot bellis tumultibusque vexaretur, nova repente verum facies apparuit. Nam cum antea uno imperio omnia tenerentur, tunc singuli Italiae populi parere recusabant ac suis legibus vivere contendebant ; cumque unus idemque sermo omnibus civitatibus Italiaque incolis in usu quondam esset, tantopere ille brevi variatus est, ut plures diversisque inter se merito viderentur. Quae enim loca maius cum barbaris hominibus commercium habuerant, et in quibus illi diutius consederant, magis corrupto sermone utebantur. Nam magnae etiam relliquiae barbarorum restiterant aut cum Italis hominibus sanguine consociati erant, aut solae adhuc suis moribus ac legibus alicubi vivebant. Est igitur in quo nos Deo immortali gratias agamus, qui in tanta sermonis colluvie et cum barbaris hominibus coniunctione, minus spurcato foedoque praeter alios utimur. Quamvis enim omne veteris illius decus interierit, abiecteque homines serviliterque superioribus seculis, ut necesse erat, in tanta temporum iniquitate locuti sint, noster tamen suavior politiorque servatus est, quod aut caeli benignitate aut regionis situ asperitateque factum est, quamvis non parva laus etiam tribui debeat maioribus illis nostris Florentinis poetis, qui labore et industria sua eum expoliverunt et ex magno acervo inconditoque vocabulorum elegantiora splendidioraque studiose collegerunt. Verum

etiam opera illorum in Latino quoque sermone enituit, qui cum ex ore hominum consuetudineque evolasset, ex libris quoque et cartis delecta esset, nisi illi studio ac diligentia sua huic malo subvenissent. Quo magis amandi optimi ac sapientissimi viri sunt, ac summis laudibus in caelum tollendi, qui novum sermonem ornarunt et veterem tam nobilem elegantemque in vita retinuerunt.

60. Sermo novus quomodo erit expoliendus ?

Quemadmodum autem omnes in Latino sermone fovendo occupati fuerunt, ita etiam ex eo numero fuit qui Graecum degustavit et utilitatem, quae ex eo capi posset, cognovit. ... Quanta voluptas, utilitasque ex Graeco sermone capiatur, perspicuum est : omnis enim doctrina liberalis, omnis historia, omnis urbanitas eo perscripta est : in illo oratores, poetae, medici, mathematici, philosophi, floruerunt, et quae ab aliis gentibus post in iis artibus percepta sunt, ex Graecis libris emanarunt : quanto autem uberius illa meliusque ea lingua exponantur, neminem ignorare arbitror. Labor igitur qui in ea perdiscenda capitur, magnis commodis compensatur, nam omnibus hoc fere hodie insitum est, neminem posse in quavis arte eruditum appellari, qui Graeci sermonis expers sit, certatimque omnes eum perdiscunt, cum superioribus temporibus pauci ex magno numero studiosorum litteris Graecis incumberent. Latinum etiam multos bonosque auctores habere constat, quamvis artium scientiarumque scriptores, nisi ex Graecis translatos non habeat, magnus tamen est ornatus eius sermonis, magna elegantia, plurimas ac maximas utilitates adferre potest, nam in usu fere transalpinarum omnium gentium est, cotidieque apud illos purior sinceriorque fit. Itali enim homines iampridem hanc palmam consecuti sunt : quae autem eo scripta sunt, in omnibus paene gentibus leguntur : cunctis certe regionibus, quae Christi legibus parent, communia sunt. Noster vero, si elegantiae ipsius candorique fortuna

responderit, vetustis illis non cedet : est enim omnis ornatus capax : inops tamen adhuc est, et suis exiguis sane finibus continetur ; aut, si radices in proximum solum egit, de ipso cum vicinis populis in contentionem venimus. De hoc tamen et plura iam dicta sunt ab eruditis et ingeniosis viris, ac saepe dicentur. Quare in eo ornando non diutius commorabor, quamvis amore ipsius flagrem, et patrii sermonis laudibus, quemadmodum par est, magnopere delecter ; ad id potius, in quo mihi cum illis convenit, transibo, ac nonnulla de Graeco Latinoque disputabo. Unam esse rationem nostri augendi atque expoliendi ipsius amatores fatentur, si Graeci Latinique scriptores in eum transferantur, ac lumina quoque orationis, quibus abundant, inde sumantur... Nisi autem maiores nostri toto pectore Latino Graecoque sermoni studuissent, atque illos pereuntes ac prope omnibus oblitos industria ac labore suo revocassent, omnes fortasse artes scientiaeque tot seculis inventae brevi spatio temporis concidissent, omnisque vetus memoria extincta esset, quo damno maius nullum fingi excogitarique potest ; lingua enim alicuius gentis amissa, res etiam ab ea gestae amittuntur.

UBERTUS FOLIETA (1518-1581)

61-62 : De Lingua Latina Dialogus.
63 : Opuscula. i. 1574.

61. Italorum linguae alia regia, alia popularis.

Antonius. Illud praefari libet, te in hac caussa, *Jacobe,* longius quam Petrum Bembum progressum. Ille enim in tribus iis libris, quos prosas inscripsit, in quibus hanc eandem quaestionem copiosissime et acutissime tractat, nostrae aetatis homines hortatur, ut aliquam operae et temporis partem ad huius Italicae linguae studium conferant, quam a calumniis obtrectatorum conatur defendere, cum doceat commode et ornate omnes res Etrusco sermone litteris posse mandari, iuventutemque ab huius linguae studio deterrentes refellit. Verum linguam latinam, id quod fecisti tu, non insectatur, neque ab ea adolescentium revocat studia : quin contra non oratione modo, sed exemplo quoque docuit, ea esse scribendum, quippe qui illam omni scriptorum varietate excoluerit, tamque multa ac praeclara non modo soluta oratione sed carminibus quoque latino sermone conscripserit, ut nemini latinae litterae aetate nostra plus debeant, iureque is unum ex clarissimis huius linguae luminibus existimetur. Quae Bembi sententia tolerabilis omnibus est. In vero hac lingua insectanda iudicioque illorum qui latine scribunt reprehendendo et vituperando iniuriosus plane existi in hunc Bembum, quem a te plurimi fieri, idque haud immerito, semper cognovi, et in tantam clarorum virorum multitudinem, qui tanta cum ingenii et eloquentiae gloria et nostra et Patrum nostrorum memoria latine scripserunt, linguamque latinam non mortuam, ut putas, sed maxime vigentem, quantum in te est,

iugulare ac de hominum coetu prorsus exterminare contendis... Quid enim aliud agunt ii, qui cum utraque lingua et latina et recentior haec popularis Italae ambae sint, eam expellunt, qua tum Itali loquebantur, cum orbi terrarum imperabant, quaeque ideo Regia Italorum lingua iure possit appelari, quod ea Italia orbis terrarum Regina loquebatur; contra, eam retineant, et colant, quam Italia omni in illam irruente atque incendiis et ruinis grassante barbarie una cum durissimo servitutis iugo accepit? Quae, malum, tanta est ista in quorundam ingeniis perversitas, ut gratior sit illis foedissimae servitutis quam florentissimi imperii recordatio, libentiusque linguam aerumnarum et dedecoris testem usurpent, quam gloriae et maiestatis admonentem recolant?

Quae res eo detestabilior est in Italis ac magis vituperanda, quo latinum sermonem apud exteras et transalpinas gentes maiore in pretio esse videmus, ut nulla earum sit quae nobilissimam hanc et Regiam linguam nostram non patriae ac populari suae anteponat, magnoque illius perdiscendae teneatur studio. Ut etiam eos pueros qui doctrinae studiis sese dant et in gymnasiis versantur, non alio quam hoc quotidiano velint sermone uti, quo faciliorem et expeditiorem eius usum habeant.

Splendidus est hic locus, et dignus, qui omni verborum copia dilatetur omnique ornamentorum genere illustretur : sed hanc laudem concionibus reservo.

62. Rerum commercia et Sermonis commercia.

Antonius. Verum ut ad propositum redeam, quod tibi paullo antea dedi, perpetuum esse omnium gentium usum ut sua lingua scribant, magnam habet exceptionem. Multi enim quorum nomen hac scribendi laude est insigne, aliena quoque lingua sibi saepe scribendum et loquendum duxerunt, quam rem non privatos homines modo, sed populos constat fecisse, idque multis de caussis : quarum prima est imperium, quod quamplurimos populos non modo ad scri-

bendum, sed etiam ad loquendum hac ipsa latina lingua impulit, ut non modo multae in Europa gentes, sed in Africa quoque et in Asia latino sermone vulgo uterentur.... Neque vero quemquam ita desipere puto ut eas nationes ac populos somniet linguam suam popularem plane deposuisse eaque cum rusticanis, opificibus, ancillis uti dedisse ; quin contra simile quiddam tum fieri verisimile est eius, quod nunc Flandris cernimus usu venire.

Iacobus. Non ab electione profectum, sed a necessitate expressum existimari debet consilium lingua Dominorum loquendi : sese enim non minus ad linguam quam ad imperia dominantium accommodare subiuncti coguntur.

Antonius. Ego subiunctos existimo utramque rem sequi, illosque et necessitati parere et gratiam dominantium captare. Altera caussa sunt negotia et earum rerum commercia quae necessarius vitae cultus postulat : necesse est enim inter quos mercaturae et contractuum sint, inter eos quoque sermonis esse commercia, id quod aetate nostra Flandris usu venit, quibus frequentia cum Gallis commercia, quotidianusque necessarius usus linguae Gallicae perdiscendae necessitatem imponit. Cuius linguae publicas scholas habent, ad quas eius perdiscendae caussa pueros mittunt, ut omnis aetas et sexus in illa provincia Gallice sciat.

Iacobus. Recte Flandri operam in lingua Gallica comparanda collocare existimandi sunt, quae lingua extincta non sit, quaeque ipsis ob commercia magnae commoditati ac plane necessaria sit. Nobis vero quod tandem est linguae istius latinae, quam nonnulli tantopere amplectuntur, commodum aut fructus ? Curque in illa sine ullo operae pretio tantum studium ac tantam diligentiam ponimus, tempore et otio abutentes ?

Antonius. Si Flandros recte studium et diligentiam in lingua Gallorum perdiscenda ponere concedis, quae illis cum una tantum Gallorum natione faciliora faciant commercia, cur non pariter eandem operam nos atque omnes Europae nationes rectius in lingua latina perdiscenda ponamus, ingenuosque omnes homines a primis annis illa imbua-

mus, quae cunctas Europae nationes ad commercia inter se reddat habiliores, omnesque proinde omnis generis negotiatores, inter quos sunt instituta commercia, in loquendo, in epistolis mittendis, in tabulis rationum conficiendis hac lingua utantur, quae tot ac tantas in quotidianis usibus habeat opportunitates, faciatque ut commodius et sine interprete ingenui viri omnes provincias possint obire, ac cum omnibus Europae nationibus sermonem serere, facilemque habeant cum illis consuetudinem, atque omnes animi notiones loquendo et scribendo intelligant.

63. Antiquorum laudibus respondet Christiana gloria.

Quis Basilio in disputando acrior, aut subtilior, aut gravior? quis maioribus ingenii aut doctrinae opibus instructus? Quid? in Nazianzeni oratione praeter eximiam Sacrarum rerum scientiam, ob quam merito est Theologus appellatus, praestantemque in omni genere doctrinae an Demosthenis sonitus et fulgura desideramus? Chrysostomus vero an non beatissima illa copia et ubertate, omniumque fere ornamentorum genere, ingenii praeterea nobilitate Ciceronem nobis expressit? Multiplicem vero Hieronymi doctrinam omniumque magnarum rerum absolutam notitiam et orationis copiam, acerrimum quoque Tertulliani ingenium, quo in gradu laudis collocabimus?

Recentior haec Scholasticorum industria an est silentio praetereunda? Quorum ratio disputandi quamvis nonnullis paullo angustior paulloque exilior atque spinosior videri possit, tamen negare non possumus lumen ab ea praeferri iterque monstrari quo minore cum erratione quae contraria videantur inter se aptare, ambigua distinguere, ac denique in amplissimis illis sacrorum librorum spatiis liberius possumus, minoreque cum offendendi periculo excurrere. Ingenii acie an non praestantissimorum Philosophorum laudibus Christiana gloria respondet, cuius in disputando erroribusque refellendis ac vera doctrina asserenda acerrimam vim quae satis aequare possit oratio?

Q. MARIUS CORRADUS (1508-1575)

64-66 : De Lingua Latina libri XII. Venetiis, 1569.
64 : lib ii. ; 65 : lib vii. ; 66 : lib. xii.

64. Nova illa Italici sermonis barbaries.

Novamque hanc Italiae barbariem exterae nationes omnes complectentur, an Italis hominibus omnium gentium linguas putamus esse discendas ?... Barbariem conferunt cum splendore latinitatis, suam cum Romanorum eloquentia, suas cantiunculas et amores cum litteris omnibus humanaque et divina sapientia. Non modo enim fatue hoc iactatum est, quod lingua nulla est illorum quae cum latina conferri aut linguae numero duci possit ; nec ulla scripta quibus non carere possimus, verum si haec illis essent paria cum Romanis, immo adeo si Athenienses etiam copia scriptorum et multitudine doctissimorum hominum vincerent, insaniae tamen esset sperare illam se barbariem sermonis vel unum pedem extra Italiae fines proferre. Nam duo sunt (id quod nostrorum et Atheniensium exemplo cognovimus) non dico maxima sed sola, quibus lingua ad exteras nationes aliqua afferri queat. Unum imperii maiestas atque amplitudo, exercitus victores, multa in locis praesidia, frequentes coloniae, celebritas iudiciorum atque legum, ut prope a nostris hominibus habitari gentium aliarum urbes ac regna videantur. Alterum estne quod genus aliud sermonis antiquissimas in civitates illarum altissimasque in patris solo radices exerit ; quae inde evelli non possunt, vel non debeant. Quid nam obfuit in Graecia, obsecro te, vel Athenis graecae linguae imperium Romanorum ? Crede mihi, si usque ad hanc memoriam et infinitis postea seculis manere id imperium atque opes illorum

tantae potuissent, sermonis Attici splendorem ii in omne tempus conservassent. Ipsa vero Graecia, quae tot bellis afflicta denique libertatem sibi auferri passa est, deleri millies quam patrii sermonis usu privari se tulisset. Tu ergo tanta insania, quantam nemo ullo in homine unquam vidit, qui tuam barbariem, tuos cantus et ineptias, Atheniensium et Romanorum gloriae anteponendam credis, illud cogitato, ne Gallos quidem aut Hispanos aut nationes Europae ceteras expertes esse istius vel cupiditatis vel sensus vel stultitiae tuae, ut suam linguam putent ceteris omnibus esse praestantiorem, et aliquando fore tempus quum tu, pulsa ex terris omnibus barbarie tua, istos cantus, et quae apud indoctos in tonstrinis leguntur sermone tuo (quod omen Deus avertat) scribere cogaris. Utinam absis longissime ab hoc metu : utinam ad pristinas etiam opes atque imperii dignitatem aliquando vel minimam illius partem redire possemus, nec perpetuis obruta primis Italia prematur. Sed praesente fortuna rerum si futuri semper simus, iam nullus isti linguae honos habebitur unquam, nisi intra angustissimos fines, a rudibus litterarum, a faece et ignavia hominum, a Thrasonibus, qui se a Latinis contempti, a vobis laudari gloriantur. Quod si intra Alpes tantum et mare legi vis, nec res nostrae videntur sibi unquam fore meliores, et linguam tamen istam his terminis inclusam, aliis gentibus inauditam, a doctis hominibus irrisam, ad scientias et res gravissimas a litteratis non adhibitam, a domestica tantum stultitia et in sinu magni aestimatam, Linguae nomine dignam putas, ne tu abes longissime a sensu et rectissime factis Romanorum et Atheniensium, quibus te parem vel (si diis placet) superiorem esse arbitraris... Expecta etiam tu illa tempora quibus tanto imperio efficias eadem quae Romani fecerunt : nos interdum fruamur hoc caelesti dono quod tum suis tum nostris atque externarum gentium plurimis ac firmissimis praesidiis munitum convelli unquam aut nobis eripi de manibus non poterit. Adest enim illa manus fortissima Gallorum, et robur maximarum urbium atque hominum Hispanorum, et Germano-

rum etiam et fidelissima totius Europae auxilia ad ultimos Pannoniae, Sarmatiae, borealis Oceani atque Atlantici fines, qui nobis hanc partem Romani imperii in omne tempus tuebuntur.

65. Scientias omnes renovat nostra haec aetas.

Nunc ea bona commemorem, quae ad mortales omnes pertinent, unde etiam summa spes maximarum rerum nobis, Italiae, Europae, et generi humano afferatur. Revertor mox ad illa maiora et sperata, quae ipsius voce numinis clarissima videntur esse promissa, nunc praesentia haec videamus : quae et ipsa divinitus adiuta maximum lumen quoddam et novas infinitasque opes nostri seculi hominibus attulerunt. Illuxere nam post res Atheniensium deletas e caelo sidera, advenere post Romanum imperium eiusmodi tempora quum restitutis in pristinum candorem bonis litteris, recuperata iam scientia vetere linguarum, omnique artificio disserendi renovato, in contractandis disciplinis, explicandis cogitationibus, consiliis capiendis, delectu bonorum, cultu religionis, atque in omni vita sic alii omnino sumus atque olim fuimus, ut nunc alio quodam et maiore lumine solis a Deo aucti esse videamur. Cogita nunc mihi ingenia et quae tot mille annis usque ad patrum nostrorum memoriam sunt monumentis tradita litterarum, confer ea cum his quae hodie aut paulo ante nos extitere, non dubium quin tibi videare infinitas tenebras infinito cum splendore siderum omnium conferre. Philosophos, oratores, poetas, iurisconsultos, mathematicos, et eos qui memorias temporum consignant litteris, et qui perfecte linguas tenent, litterasque omnes, iam paucis ante annis extare coepisse, rara felicitate quadam orbis terrarum, nova benignitate Dei et coeli clementia necesse est confiteri.... Simillima nam nostra haec paulloque superior aetas ingenia tulit, similiter scientias omnes renovat, quotidieque res abditissimas in lucem profert, et apertas rerum naturas omnium ante

oculos ponit, quemadmodum illis seculis factum scimus per quae multi ingenio virtute sapientia clarissimi heroes floruerunt. Tunc nam parturiebat mundus, totaque haec rerum universitas dulcissimum Christi adventum, qui non multum post humanum genus universum aspectu praesentiaque sua et caelesti rerum omnium affluentia cumulatum redderet.... Quamobrem si nunc expressa videri coepta est imago felicitatis illorum temporum, quae pacem in terris omnibus et futurae initia religionis praedicerent, spe certissima debemus esse, hac etiam tanta rerum similitudine aliquid nobis magnum significari divinitus, vel recuperationem antiquae dignitatis, vel amplificationem imperii, vel dilatationem religionis, aut aliquid prorsus quo aliqua tandem posteritas guadeat res humanas esse restitutas. Auget hanc spem firmioremque reddit, quod ad bonas artes omnes ad latine loquendi, rectissime sentiendi, abditissimarumque rerum scientiam, in Italia, Gallia, et in reliqua Europa, non maximis quibusdam praemiis ingeniosi homines a principibus orbis terrarum, aut rebus publicis adducti, sed privatim ac sponte ad praeclara omnia incitati sunt, ut ipsae mentes hominum regionesque Italiae et Europae, ipso numine divino ad haec afflatae esse videantur. Itaque nos cum doctis omnibus qui haec rectissime, atque ut nobis visum est, accipiunt, ita secundissimis his rebus fruamur, ut meliora etiam expectemus illa, unde qui postea futuri sunt homines, principi, auctorique universi, Deo, novae beneficentiae causa, caerimoniis ac solemni ritu faciant. Quando igitur inter haec summa bona quae restituta sunt, fieri non potuit quin renovatio quoque esset praecipua latinitatis, nec ulla unquam fuit aetas qua melius haec tractari debuisset, quam spero post hac illustrius tractatum iri a doctissimis.

66. Carmen variare non potest barbaries.

Verba coniungere ipsi non possunt, qui in eo quoque errant vehementer, quod rationem hanc ad componendos

versus magis necessariam, quam ad solutam orationem arbitrantur. Contra vero si nullum scribendi genus est sine hac ratione syllabarum, quod non poetae solum, sed ne oratores quidem exercere possint, iam stulte quis dubitet cur post literas inventas nemo unquam vel ex barbaris gentibus extitit cui non cognita haec fuerint aeque ac summis poetarum. Quamobrem hortor bonos adolescentes literarum studiosos nullam sibi illarum partem credant esse negligendam. Hanc vero maxime amplectantur, quam si relinquamus, nec versum nec orationem facere nos, nec scriptum ab aliis intelligere poterimus. Quid ergo in studiis aliud est, in quo neglecto maiorem facias iacturam? Quumque duas res natura nobis dederit pulcherrimas, quibus aut fallere tempus aut recreare a miseriis animum possimus, id est , musicos cantus ac poeticos versus, longe mea sententia praestat ea quae semper nobiscum, in frequentia, in solitudine, in rebus agendis, in otio et in silentio versatur, estque ad omne tempus, aetatem, sexum, locum, ordinem accommodata. Utinam hanc, ut hactenus multi fecerunt, ad illa transferre pergamus, ut antiquorum exemplo res celebrare personasque divinas poeticis numeris esse nobis pulcherrimum credamus. Sed non deerunt qui Actium Sincerum, qui Hieronymum Vidam, qui M. Antonium Flaminium, qui Basilium Zanchium sequentur. Luserunt alia doctissimi viri, Pontanus, Castilio, Varchius, Ioannes Baptista Arcucius, Cotta, Naugerius, Fracastorius, Amaltheus, Marullus, Gambara, Fascitellus, quorum tamen scriptis non minus quam Virgilii Horatii aliorumque veterum posteritas omnis adiuvabitur. Nemo de quorundam stultitia hominum, suas ineptias vel suorum scripta vel barbariem cum his audeat conferre, quibus uti licet, praeterea, infinita scribendi varietate ea ad quam isti in sua lingua ne aspirare quidem possunt. Enumerent versuum genera in Horatio, Catullo, Anacreonte, Pindaro, in antiquis omnibus, et mecum repetant quotam quamque sibi ex his partem liceat imitari. Caret enim illa barbaries longarum et brevium discrimine syllabarum, quo fit ut pedes

habere et carmen variare non possunt. Doluit hoc Trissinus, homo ex isto grege, ut sibi visus est, ingeniosus, qui, ut huic vitio mederetur, novas litterarum formas atque voces, novasque ineptias excogitavit. Invidit hanc nobis varietatem Claudius Ptolemaeius, qui etiam sine pedibus, capite, mente, sapphicos et paucorum generum versus scribere coepisset, illum denique puduit levitatis et audaciae suae. Quid ergo mihi istorum natio insolentissima linguae novitate istius gloriatur? Sed haec religio viderit aliquando et artes ingenuae et res publicae orbis terrarum, Nunc ea derelictio est rerum omnium, ut quum dicitur latinam linguam aeternam fore in scientiis, aeternam in religionum libris, aeternam in iudiciis, aeternam in communicatione sacrorum, aeternam in templis omnibus, victuram semper in cunctis terris ubicunque religio fuerit, non turpe creditur vel animadversione dignum, quod his rebus isti indoctorum principum ignaviam suamque ipsorum imperitiam, vulgi sensum ac rumusculos, atque ineptissima omnia opponunt. Nobis vero dubium non sit quin aliquo in tempore facilius quoque sit futurum latini sermonis usum toto orbe terrarum, a mulieribus etiam, pueris, ac rusticis teneri, quam peiorem in locum (ut isti cupiunt) adducere.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS (1488-1522)

67-68 : Christophori Longolii Orationes et Epistolae. Parisiis, 1526. (Io. Bad. Ascensius). « Quibus omnibus praeponitur Longolii vita ab ipsius amicissimo quodam exarata ».
69 : C. Longolius Stephano Theolio. Epistol. IV.

67. Longolius adolescens per scriptores omnes vagatur.

Ineunte aetate cum earum rerum cognoscendarum magno studio teneretur quae a philosophis tractantur, amici qui eum honoratum magis quam doctum videre cupiebant, verentes ne talium rerum studium eum longius ab honorum petitione abduceret, magnopere illi authores fuere, ne aliud sibi eo tempore praeter ius civile discendum proponeret ; ex eius enim artis studio affirmabant fore ut celeriter ad honores et ad summam gloriam perveniret. Quorum precibus et hortationibus cum sibi omnino parendum esse duxisset, sex annos in eo studio ita consumpsit, ut nullis interim aliis litteris praeterquam oratoriis, quae maxime etiam artem illam vel ornare vel adiuvare existimantur, operam daret... Ita profecit ut cum postea ab amicis Lutetiam Parisiorum, ut ius ibi exerceret, esset revocatus, cum agendo tum respondendo tantam laudem est adeptus, ut vixdum biennium in iurisconsultorum subselliis versatus, in centumvirale illud consilium, quod antea solis senibus vel certe aetate provectis patebat, admodum iuvenis adlegeretur. Quare amicorum voluntati iam satisfactum putans, tempus adesse putavit ut animo etiam suo maiorum rerum cupiditate flagranti morem gereret. Itaque C. Plinium,

cuius lectioni se totum dicaret, delegit : quam varietate et copia rerum ceteris latinis scriptoribus praestare ac velut in unius operis compendio quaecumque a philosophis graecis pluribus et libris et verbis tractata essent, mira brevitate collegisse existimavit. Sed cum res ipsae, quae quamvis copiose tractatae, per se ipsae difficultatem afferunt, in angustum a Plinio conclusae vix spem aliquam sui intelligendi darent... animum ad maiora erexit, ut eos etiam scriptores videret a quibus illa Plinii emanasse putabantur. In hac vero sententia cum esset, omnes illi agricolae, omnes fere medici fuere perdiscendi ; rerum Romanarum et totius antiquitatis memoria diligenter tenenda... Haec vero perficere illi multo fuit difficillimum, praesertim graecarum litterarum adhuc ignaro et prorsus rudi. Verum nihil horum eum retardavit : ut erat animo semper reluctante difficultatibus, tumque incensus cupiditate, ut philosophorum et aliorum scriptorum mysteria cognosceret. Principio itaque graecis litteris tanto studio tantisque ingenii viribus incubuit, ut nondum se vertente anno, sive ad philosophos sive ad oratores se converteret, ignoratio linguae nusquam eum ab eorum intelligentia excluderet... Oratoriis artibus a puero semper deditus fuit : earum vero summam cognitionem, non artis solum praeceptis sed multa exercitatione firmaverat. Declamandique consuetudinem multis iam seculis intermissam et prope mortuam, qua nihil unquam utilius iis qui oratores evadere cupiunt, inventum fuit, in se ipso primum, post in aliis renovavit, cum argumento proposito saepe in scholis declamando alios ut idem facerent commovit. Genus dicendi ineunte aetate secutus est, quod postea vir factus valde improbavit. Nam cum adolescens per omnia scriptorum genera vagaretur, neque quemquam unam sibi imitandum proponeret, sed ut ipse de se dicere solebat, tantum in unoquoque notaret quantum acute aut sententiose dictum esset, eo factum est, ut prudenter semper fere diceret ; oratio vero eius quae ex verbis undique accersitis constaret, nullam neque elegantiam nec venustatem prae se ferret, formamque dicendi inconditam et minime aequabilem redderet.

68. Cicero solus legendus et imitandus.

Quum vero genus scribendi mutaverit, id Petri Bembi consilio, qui eo tempore hac laude eleganter et latine scribendi multum Italis omnibus praestitit acceptum referre solitus est. Ille enim cum Longolio amicissimus esset, multaque eius prudenter quidem scripta, sed inquinatis et corruptis verbis referta videret, dolere se apud eum saepe testatus est, qui cum a natura et litteris ad oratorias artes instructissimus esset, voluntate etiam in eas maxime propensus, negligeret tamen eam partem emendate et latine loquendi quam Marcus Cicero eloquentiae Romanae parens solum et quasi fundamentum oratoris esse iudicavit, unde etiam eloquentia ipsa nomen sumpsisset. Magnopere igitur est cohortatus ut totam suam dictionem ad praestantem illam Ciceronis dicendi formam revocaret, eumque solum ex oratoribus sibi imitandum proponeret. Cuius consilio et auctoritati tantum tribuit, ut quinque annos continuos ab ea cohortatione nullum alium authorem latinum in manibus haberet, nullum legeret, nisi Ciceronem ; in quo tantum studis industriaque profecit, ut post breve tempus, cum sibi eam legem indixisset, ne aliis atque a Cicerone sumptis verbis uteretur, ad omnia fere quaecunque animo concepisset exprimenda, abunde ex illo uno verba suppeterent. Cumque se totum ad summi illius oratoris imitationem dedisset, sicque toto animo contendisset ut nihil unquam magis, ut perfectam illius scribendi formam animo inclusam haberet, etiam in omnibus quae scripsit, ut eodem modo dicere posset, magnopere laboravit.

69. Cicero unicus dicendi et scribendi magister.

Habeat Ciceronem semper in manibus, hunc legat ex omnibus unum, hunc amet, hunc admiretur, ab eodem ipso, si quid scribendum erit aut dicendum, non dubitanter sumat et mutuetur. Sors enim, ut ille ait, fit ex usura. Reliquos, cum erit otium, et, iudicium ipse facere poterit,

tum attingit. Interim hunc nunquam de manibus deponat, ex eo quasi purissimo quodam atque uberrimo latini sermonis fonte, omnem emendate loquendi copioseque dicendi rationem hauriat. Afferrem hanc in rationem vulgo non satis probatam plura, nisi tecum agerem qui scis et videas quam inquinata sit et absurda eorum hodie oratio, qui alio atque Cicerone ipso dicendi scribendive magistro sunt usi.

IOANNES CASA (1503-1556)

70 : Ioannis Casae Latina Monimenta. Florentiae, 1567. Vita Bembi.

70. Bembus ad veterum scriptorum lumen respexit primus.

Sic excitatum puerile Bembi ingenium Florentiae est, sic tenerae pueri aures animusque puro ac dulci illo Etruscorum sermone imbutus, ut iam inde a prima adolescentia, multa cum Latine tum vero Thusce a se scripta ediderit, quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino elegantius aut suavius accidere possit. Tacebat omnino temporibus illis eloquentia, inquinate enim loquebantur, nullus erat verborum delectus, nullum scriptorum discrimen. Nam et ipse negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat ; et Caesarem propter historiam modo cursim et negligenter legebant, Terentium, Virgilium, bonos ceteros in ludo tantum, idque perpauci ediscebant : post puerilem illam disciplinam sumebat eos in manus nemo. Duros, obscuros, asperos scriptores adamabant, consectabanturque abditas abstrusasque historias aut fabulas ; qui iis ineptiis referti essent auctores, ii eruditi numerabantur : itaque unus Ovidius de veteribus in honore erat. Ergo, si verum quaerimus, nihil ante Bembi aetatem Latine scriptum octingentis ipsis annis, aut eo amplius, quod Romam illam veterem redoleat, aut magnopere lectione dignum sit. Soloecismum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idque ipsum haudquaquam semper : id unum praestare qui poterant, Latine loqui sese putabant : nulli, qui purus ille incorruptusque veterum Romanorum sermo esset, noverant, ac ne suspicabantur quidem. Par erat atque idem error, qui

Italice scribebant. Qui cum duos haberent scriptores mea quidem sententia vel cum Latinis vel cum Graecis conferendos, nam alterius versus et suavitatis plurimum habent et variis ingenii aut etiam artis luminibus referti sunt, et animum saepe permovent atque impellunt, ut de auctore ne Graecus quidem quisquam melius ; alterius oratio dulcis, copiosa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quae legas, non narrari videantur : hos cum haberent auctores duos, utrumque in suo genere maxime excellentem, scribebant ipsi inepte, abiectissimis verbis ; nullus erat orationis ornatus, nullae homine erudito dignae sententiae, nulla compositionis aut numerorum ratio. Licet in manus sumere, quae tunc multi scriptitarunt ; praeter unum Politianum, illumque ipsum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legisse Petrarcae lectissimos versus videatur, ceteros ad unum indignos dicas, qui in scriptorum numero habeantur. Unum scurrile vigebat genus ; in eo sane ridiculi nonnulli, sed ipsi quoque multis in locis inertes ac languidi.

Hanc igitur inter erroris atque inscitiae caliginem Bembus ad veterum scriptorum tanquam lumen ac lucem respexit primus, primusque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno suo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Caesaris similes sese in dicendo, quam Apuleii, Macrobii, Statiique esse mallent. Ita enim ubi res est, sic homines statuebant : perdifficile factu esse unum atque eundem duabus linguis tam scite, tamque ornate copioseque uti posse : quodque pauci uno in sermone unquam praestiterunt, ut praeclare scriberent, id ab adolescente Bembo in Latina et in Italica oratione effici, omnibus qui de iis studiis aliquid iudicare possent, permissum videri necesse erat. Ac datum est profecto Urbinatum civitati, ut non suos domi modo principes omni genere laudis claros atque insignes habeat, sed etiam ut ex alienis civitatibus mulieres, quas illi in matrimonium duxerint lectissimae fere praestantissimaeque illi feminarum omnium obtingant... Fortunatus igitur Guidusubaldus cum

sua illa animi magnitudine atque aequabilitate, suaque illa prudentia, tum vero hac tali conjuge vitaeque socia. Sed cum Urbini, quemadmodum dicere inceperam, Guidusubaldus atque Elisabetha Gonsagia essent, hominum excellentium peramantes perque hospitales, conveniebant ad eos ex omni Italia, ut quisque praestanti aliqua in arte praecelleret ; eo cum Bembus quoque forte venisset, praecipuo praeter ceteros in honore haberi coeptus est.

M. ANTONIUS MAIORAGIUS (1514-1555)

71-74 : M. Antonii Maioragii Orationes et Praefationes — Venetiis. 1582.
71 : Oratio pro se in Senatu Mediolanensi.
72 : De Grammaticae Artis Excellentia.
73 : Libelli Supplices ad Senatum.
74 : Praefatio in Ciceronis de Oratore.

71. Restituta Mediolani dicendi ratio.

Ut primum per aetatem mihi licuit, et latinis et graecis literis ad humanitatem informari, statim a parente, qui me quam doctissimum fieri vehementissime cupiebat, quamvis ei non admodum ampla rei familiaris copia suppeteret, erudiendus doctissimo praeceptori traditus sum. Sed cum aliquos iam in literis progressus facere coepissem, postea temporum iniuria, quae diu maxime perturbata, atque tumultuosa fuerint, effectum est, ut per annos amplius octo, tametsi literarum essem amantissimus, nihil tamen in eis operae, nihil studii, ponere potuerim, donec tandem cum paulo quietiora tempora successissent, a Primo Comite consobrino meo doctissimo viro Novocomum, quae Romanorum colonia fuit ubi tunc ipse publice docebat, magna sanem cum humanitate, atque benevolentia perductus sum, ibi cum aliquod tempus operam Primo dedissem, qui me cum studiose, tum peramanter erudire contendebat, et ipsius praeceptoris iudicio tantum iam in literis profecissem, ut non tantum latinos, et graecos authores per me ipsum intelligere sed aliis etiam interpretari facile possem, Mediolanum in antiquam maiorum meorum patriam et civitatem veni, vivente adhuc Francisco Sfortia Mediolanensium

duce ac principe. Statim Fanniani cum adhuc ignotus in hac urbe penitus essem, me domum suam receperunt, eaque comitate, atque liberalitate erga me longo tempore visi sunt, ut huic Lancilloto Fanniano viro summa virtute, fide, religione praedito non minus quam parenti me debere et sentiam, et libentissime praedicem. Qui cum in studiis literarum me continentur versari videret, magno quodam cum amore saepissime reprehendere solebat, quod acquirendae scientiae desiderio, propriae salutis obliviscerer. Testes sunt omnes qui me norant eo tempore, ut non semel propter nimis assiduum studium, cum in gravisimos morbos incidissem, de vitae periculo dimicarim. Erat autem studiis meis ille finis propositus, ut si quomodo fieri posset, amissa iampridem in hac civitate dicendi ratio, et declamandi consuetudo per me restitueretur. Itaque non tantum ipse prope quotidiana dicendi exercitatione utebar, sed etiam nobilissimos adolescentes incredibili quadam cum animi voluptate propter eorum excellens ingenium more veterum assidue declamantes audiebam, et eorem dictionem, quantum per me fieri poterat, ad illius divinae Ciceronis eloquentiae modum atque exemplar informabam, neque tamen interea caeterarum artium ingenuarum studia pretermittebam, nam eodem tempore ab Arunte Bataleo ingeniosissimo et acutissimo viro in dialectica studiosissime exercebar : quae, quod ait Cicero, quasi contracta et astricta eloquentia putanda est ; et in mathematicis disciplinis Hieronymo Cardano philosopho medicoque peritissimo, et nostri temporis mathematicorum facile principi dabam operam. Sed cum propter novam docendi rationem meam maximus quotidie nobilissimorum adolescentium concursus ad me fieret, nam et vos P. C. et caeteri cives nostri de me iam opinionem conceperant, ut mihi rectissime filios suos committi existimarent, cogitare coepi longe mihi, et ad famam clarius, et ad erudiendam iuventutem commodius fore, si publice docendi provinciam a Gymnasiarchis nostris mihi demandari procurassem. Quam in spem et cogitationem adductus sum, postquam vir sapien-

tissimus Philippus Saccus huius publici consilii author, et vestri ordinis princeps, me ad eam provinciam petendam invitavit, suamque suffragationem omnium potentissimam et probatissimam mihi sua sponte peramanter obtulit, huius igitur praecipue opera, tum etiam studio, atque favore clarissimi, et amplissimi viri Francisci Sfrondati, qui cum eo tempore Mediolani primarius senator haberetur, et Caroli Quinti imperatores consiliarius esset, summum dignitatis gradum obtinebat, magno consensu totius ordinis vestri cum vix sextum ac vigesimum annum attigissem, ad oratoriam artem publice docendam electus sum.

72. Quae nobilissimae artes incultae iacent.

Si quis est vestrum Patres Conscripti, vosque ; caeteri cives honestissimi, qui forte miretur, me qui iam duos ab hinc annos hanc publicae docendi atque humaniores literas profitendi provinciam eo animo reliqueram, ut ad iuris civilis studium, quod omnium opinione putatur esse gravius atque praestantius, me transferrem, subito nunc immutata voluntate, ad eandem illam, quam antea reliqui disciplinam profitendam descendere, is si mei consilii causam, rationemque cognorit, profecto, et id quod facio probabit, ex hac nostra quam a pueris secuti fueramus liberali sane scientia, nullam neque utiliorem humano generi, neque honestiorem existimabit. Nam cum sextum, ut opinor ab hinc annum in hac amplissima civitate nostra, cum adhuc admodum essem adolescens ex amicorum sententia ludum aperuissem, et non tantum privatim, sed etiam publice Mediolanenses adolescentes ita erudire instituíssem, ut nemo prorsus diligentiam aut assiduitatem meam desideraret, multumque ex diurni, et nocturni laboris, ut suscepto negocio plane satisfacerem, per annos quattuor suscepissem, secutum est deinde perniciosum tempus illud, cum haec civitas propter assiduum bellum quod a Carolo Quinto, Caesare invictissimo, permultos annos in Taurinis

contra Gallos gestum est, gravissimis tributis atque exactionibus assidue vexaretur, quo quidem tempore nulla neque publice neque privatim erat studiorum cura aut gratia. Nam bello occupati principes literarum studia negligebant, neque debita professoribus praemia reddebant, Ciues autem propter crebras tributorum exactiones pecuniis exinaniti, etiam filiorum erudiendorum curam abiicere cogebantur, quinetiam in adolescentium animis (ut fit) in eiusmodi temporibus, ardor ille discendi pristinus pene extinctus esse videbatur. Quae cum ego neque obscura, neque incerta viderem, nullusque omnino tantorum finis malorum appareret, et iam me satis in hac arte docendi nominis et gloriae consecutum existimarem, coepi de mutanda vitae ratione cogitare, meque totum iuri civili perdiscendo tradere, videbam enim me adhuc admodum esse iuvenem, ac pene adolescentem, quippe qui nondum octavum et vigesimum annum attigissem, itaque sperabam facilem posse, si legum studia fuissem amplexus brevi tempore Iurisconsultus evadere. Quod meum consilium cum amicis omnibus placuisset, et plerique me sponte mea satis incitatum impellerent, Ferrariam eo animo profectus sum, ut magnum illum Alciatum ibi profitentem audirem. Ac primo quidem Alciati copia atque elegantia delectatus, deinde etiam ipsorum Iurisconsultorum veterum, quibus nihil purius aut politius inveniri potest, eloquentia captus, egregiam mihi operam in iure praestaturus videbar. Sed postquam Bartolos, Alexandros, Paulos, Iasones voluere coepissem, Dii boni quem mihi metum quem horrorem suis commentationibus incusserunt? quantas mihi talium verborum insolenti tenebras offuderunt? nihil enim in eis purum nihil elegans, nihil candidum, sed omnia horrida, squallida, tenebricosa inveniebam, qua re factum est, ut animus meus, qui in artis oratoriae iucunditate, et poeticae amoenitate, a lacte nutricis educatus antea fuerat, ab eo scientiae genere penitus refugeret. Hac igitur spe destitutus, ad eam quam antiqui illi sapientes maxime excoluerunt, divinarum atque humanarum rerum scientiam, animum intendere

coepi, quippe qui praeclare intelligerem, unam esse Philosophiam, quae omnium laudatarum artium procreatrix ac regina merito dici possit. Sed in hac etiam re multum mea me fefellit opinio, quam enim cultam ac nitidam me visurum esse scientiam existimabam, eam omnium maxime inquinatam atque sordidatam reperi, tam enim foedis atque insolentibus verbis, tam inauditis atque portentosis vocabulis Philosophi nostrae tempestatis utuntur, ut paulo delicatiores aures sonum illum tanquam Cyclopicum omnino refugiant, ac nullo modo ferre possint. Quae cum omnia mihi praeter spem atque opinionem evenissent, diutius mecum coepi cogitare, quaenam esset huiusce rei causa, quod duae nobilissimae omnium artes iurisprudentia, et Philosophia tam incultae tam sordidae viderentur. Tandem intellexi eorum hominum qui artes istas nostra et patrum nostrorum memoria professi sunt imperitia atque ignorantia hoc accidisse, qui cum grammaticas rationes neque scirent, neque percipere curarent, foedissima Barbariae libros omnes referserunt. Haec enim quae Grammatica dicitur, una scientia est, quae caeteras omnes ingenuas artes non solum nutrire atque educare, sed etiam excolere atque exornare mirifice soleat, et quae non tantum reliquarum principium atque fundamentum est, verum etiam condimentum suavissimum.

73. Professoris publici libelli supplices.

(A). Cum vestrae prudentiae, atque auctoritatis sit P. C. non solum intelligere, quid in publicis negociis agatur; verum etiam providere, ut omnia, quam fieri potest optime rectissime quae gerantur : M. Antonio Maioragio publico utriusque linguae Mediolani professori, qui omnia prius expertus est, ne molestus esse videretur, vobis in praesentia significare visum est, se iam quattuor ab hinc annos magno incommodo suo, studiosaequae iuventutis hora vespertina Latinae publicae docuisse : cum eo tempore forum

mercatorum gymnasio vicinam magnis undique clamoribus obstrepat, nam semper aut pueri vociferantes huc atque illuc dimissi et schola cursitant ; aut aliquis circumforaneus circulator lyrae cantu, vel assa voce plebeios homines congregat ; et iuvenes ad se potius audiendum allicit ; aut praeco publicus tuba inclamat, ut quae decreta sunt a magistratibus, enunciet ; aut tortor maleficum aliquem in equuleo suspendit ; aut denique quod omnium est molestissimum, vaga iuventus et intemperans, quae per forum illa hora deambulare solet in gymnasium ascendit, et vel sibilis, vel pulsatione subselliorum, vel pulueris et lapidum coniectu audiendi cupidos interturbat. Itaque vos orat, atque obsecrat, ut pro communi iuventutis utilitate, pro civitatis dignitate, pro vestra sapientia, pro honore suo velitis iubeatisque eum utramque linguam matutino tempore profiteri. Sic enim et omnia praedicta incommoda facile vitabuntur ; et multi iuvenes, qui mane Graecam lectionem ab eodem audiunt, etiam Latinam eodem tempore multo libentissime audient : quoniam bis in die non eis commodum est in forum accedere. Neque hoc ullo fiet Othonis Lupani publici professoris incommodo : modo is observare velit, quod alias auctoritate vestra constitutum est, ut paulo tempestivius lectionem suam incipiat, et tunc legere desinat, cum aere Campano minore signum datur, eodem enim tempore Graecam lectionem in alio gymnasio Maioragius absolvere solet, quare deinde statim Othoni succedet, ut latine legat, atque hac una ratione studiosa iuventus, si voluerit, utriusque professoris quotidie Latinam lectionem audire, facile poterit. Haec ideo vobis P. C. significare Maioragius voluit : quoniam certum atque exclaratum habet, vos pro consuetudine vestra, quod fructuosum et utile iuventuti fore videbitis, illud decreturos.

(B). Quoniam summa aequitas, atque iustitia vestra P. Conscripti, splendorem ac benignitatem quam proportione aeqalem in omneis, de Republica benemerentes diffundere solet : ideo nos Otho Lupanus, et M. Antonius Maioragius, quos in hac civitate vos artis Oratoriae professores

esse voluistis, supplicantes petimus, ut eadem immunitate nos donetis, qua iam Ticinensis gymnasii professores donastis, cum praesertim sit eadem nostra, quae illorum caussa, et magis etiam vobis deberi, quam illis immunitas videatur, primo quia in Metropoli civitate legimus, deinde, quia non tantum publice, sed etiam privatim Reipub. prodesse contendimus. Rogamus igitur, ut etiam nos, sicuti alii omnes lectores publici vestro munere gaudeamus.

74. Iam Ciceronem ipsum audiamus.

Unus est eloquentiae parens Cicero, cuius oratio quovis melle dulcior est, sapientissimis sententiis gravibusquae verbis ornata et perpolita, quae merito flexamina atque regina rerum dici potest, ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova videri solet, gravis, erudita, liberalis admirabilis, unus est a nobis hic auctor imitandus, unus suspiciendus, unus semper in manibus habendus, huius sententias, huius verba, huius numeros omni cura, studio, diligentia persequi debemus, qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate, et rebus, et verbis dicit, et in ipsa oratione quasi quendam numerum, versumque conficit. Hunc si aliquo modo sectari, atque adumbrare cupimus, quoniam aequare non modo quisquam potest, sed ne sperare quidem debet. Verborum in primis delectus habendus est, quod eloquentiae principium esse Caesar dictitabat, ut nullam penitus dictionem, nullam vocem admittamus, quae non elegans, latina Ciceroniana esse videatur. Deinde compositionis ratio diligens adhibenda est, ut neque asperos habeat concursus, neque disiunctos atque hiantes, tum rerum ordinem, et argumentorum collocationem, atque probabilitatem advertere, diligenterque imitari oportet. Postremo sententiarum et verborum lumina, quas vel figuras, vel exornationes apellamus, summa cum industria persequenda sunt, quibus quia tam frequenter utitur Cicero,

sunt qui putent eius eloquentiam vel hac una de causa summopere esse laudandam. Sed haec non nisi acri studio, magna diligentia, summo labore, longa exercitatione percipi possunt. Itaque non mirum est si tam rari sunt ii, qui Ciceronianam dicendi maiestatem et eloquentiae virtutes exprimant, quoniam plerique vel imitandi rationem ignorant, vel laborem omnino refugiunt. In hac enim parte plurimi decipiuntur, qui cum aliquas ex Cicerone clausulas excerpserint, atque in suis scriptis collocarint, se germanos atque veros Ciceronis imitatores arbitrantur ; cum imitatio vera non in verbis tantum, sed in rebus magis atque ordine constet, neque quisquam recte Ciceronem imitari possit, nisi, qui studiis iisdem quibus ille utebatur, se totum tradiderit ; ut non tantum verba, quod plerique faciunt, sed etiam sensus, et virtutes, quod pauci facere possunt, intelligat. Habet enim hoc proprium et quasi peculiare Cicero, ut longae graviores et reconditiores plerunque sententias in se habeat, quam prima fronte prae se ferre videatur, ut non sine causa Quintilianus dixerit : ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Quod si usquam Cicero doctrinam summam atque eruditionem ostendit, in his certe libris tam multa recondita sunt, et ex intimis disciplinis decerta, atque delibata, ut nihil doctius aut eruditius excogitari possit, quae non nisi magno studio, diligentique consideratione possunt intelligi. Quare mihi vestra opus erit attentione Auditores, dum has Latinae linguae divitias, hos eloquentiae fontes, hos rerum pretiosissimarum Thesauros interpretatione mea nobis aperio, quos si degustare semel coeperitis, non tantum summam ex eis utilitatem, sed etiam tam incredibilem iucunditatem percipietis, ut nihil vos aliud magis delectare possit. Sed iam Ciceronem ipsum audiamus.

DIONYSIUS LAMBINUS (1520-1572)

75 : D. Lambini Monstroliensis in Horatium Praefatio Carolo Nono Galliarum Regi. Venetiis : apud Paulum Manutium Aldi filium. 1566.

75. Etiam cum Italia certare audet Gallia.

Vellem mihi tanta suppeteret orationis facultas, ut singularem Francisci avi tui (cuius nomen vigebit memoria hominum sempiterna) in viros eruditos benevolentiam, ac liberalitatem meritis laudibus efferre possem. Quantis enim praemiis illos invitavit ? quot, et quantis muneribus cumulavit ? Neque vero in Gallos tantum, hoc est in suos, ita animatus fuit, verum etiam exteros, atque adeo multo impensius, omni beneficiorum genere auxit, atque ornavit. Ex quo factum est, ut ex omnibus terrarum oris ac partibus viri Hebraicarum, Graecarum, Latinarum litterarum scientia clari, philosophi, iurisconsulti, poetae, rhetores praemiis amplissimis excitati in Galliam convenirent. Muta tum erant ab illis litteris, a liquida, et germana philosophia, a veterum, et probatorum auctorum vocibus Lutetiae gymnasia, vigebant in eis ineptae verborum captationes et concertationes : inanes, et spinosae quaestiunculae ponebantur : fallaces, et minutae conclusiunculae contorquebantur : disputationibus anilibus, barbaris nominibus, ac vocibus, impolitissimorum librorum lectione omnium gymnasiorum parietes personabant, merae nugae, merae ineptiae, mera barbaries docebatur. Ignoti erant Graeci scriptores omnes, linguae Latinae elegantiam, et munditiem, incorruptum Latini sermonis usum nemo noverat, nemo docebat. Hebraicae, et

Graecae linguae ne elementa quidem erant nota : omni elegantiore, et puriore doctrina, omnibus Graecorum, et Latinorum melioris notae scriptorum monimentis carebamus. Piget, pudetque referre quanta tum omnium bonarum artium ignoratio Galliam tuam obsessam teneret : quantis tenebris populus tuus circumfusus, ac paene dicam, sepultus esset. Exortus est Franciscus ille, avus tuus, humanarum litterarum, omniumque ingenuarum artium, ac disciplinarum verissimo cognomento parens appellatus : qui rus merum, qui foedam barbariem, qui grave virus, qui crassas tenebras et scholis, ex urbibus, et tota Gallia suo splendore depelleret, fugaret, dissiparet : sermonis Hebraici, Graeci, Latini, omnium artium honestarum, et reipub. utilium studia in hominibus ingenio praestantibus comoveret, atque excitaret. Id autem hac ratione assecutus est, Lutetiae duodecim doctores partim Gallos partim advenas proposito, atque attributo eis honestissimo auctoramento instituit : quorum alii mathematicas artes, alii Hebraicas litteras, alii Graecas, alii Latinas, alii philosophiam ex ipsis fontibus haustam, alii medicinam publice docerent. Francisco successit Erricus dignissimus patre filius, pater tuus, rerum domi forisque gestarum gloria clarissimus : qui patrem cum ceteris rebus omnibus paene vestigiis ipsis persecutus est, tum eximio in litteratos, et eruditos homines amore ac studio cum illo certavit : atque in eorum, qui vel excesserant et vita, vel alioqui sua sponte docendi munere defuncti fuerant, locum viros ingenio, doctrinaque praestanteis substituit. Ita utroque regnante artes, litterae, virtutes omnes in Gallia floruerunt. Nam armorum quidem, rerumque bellicarum gloria iampridem ceteris nationibus aut pares, aut etiam superiores eramus : litterarum autem, atque artium libero dignarum laudibus ante quam Franciscus avus tuus regnum obtineret, certe vincebamur. At nunc iidem Francisci avi tui, et Errici patris beneficio ita literas amplexi sumus, ut non modo iam cum Germania, (quae discentium, atque eruditorum multitudine semper abundavit, neque minus unquam litterarum, quam armorum

cupiditate, studioque ; flagravit :) verum etiam cum Italia, (quae cum viros acumine ingeniorum, sollertiaque iudicandi praestanteis gignere existimatur, tum Latinarum quidem litterarum hereditatem quodam veluti gentilitatis iure sibi vindicavit : Graecarum autem possessionem quasi vacuam, et caducam eversa ac deleta Graecia celeriter occupavit,) ultro pedem conferre, atque in certamen descendere audeamus. Hunc igitur ingeniorum cultum, hanc humanitatem, hanc optimarum artium celebritatem, quam ab avo, et patre tuo consecuti sumus, tuae personae decorum est, Carole : tuis maioribus dignum.

IUSTUS LIPSIUS (1547-1606)

76-77 : I. Lipsi de recta pronunciatione Latinae linguae libellus. Editio Ultima : Antverpiae, 1599.
76 : cap. i. 77 : cap. iii.
78 : Henrico Uveno. Lovanii, 1596.
79 : Epistolica Institutio excepta ex dictantis I. Lipsi ore, Lovanii 1587, mense Iunio. cap. xiii.
80 : Nicolao Oudarto, Mechliniam. 1599.

76. Cum Mureto in Quirinali colloquitur Lipsius.

Adolescens in Italiam cum venissem : acre desiderium mihi res antiquas noscendi et viros, qui eas docti. Inflammabar cupidine doctrinae veteris : et magni apud me omnes illi, qui in ea essent magni. Inter quos M. Antonium Muretum iure censebam, virum in quo non eruditio solum varia, sed comitas etiam et lepos multus. Atque ut illa nos exteros in admirationem sui rapiebat, ita ista in amorem, cum erga omnes tam prompta ei humanitas ut raro domus aut lingua eius cuiquam esset clausa. Itaque mihi crebra ad illum itio : nec facile reditio, nisi cum fructu aliquo et velut doctrinae spico, quod colligebam ex fecundo illo agro. Quod accidisse mihi recolo statim sub initia : cum pereger adhuc ac novus ad illum viserem, tunc aestivantem in Quirinali. Nam patronus eius Hippolytus Estensis, vir nobilis iuxta ac splendidus, domum ibi alteram habebat in despectu et crepidine ipsa collis : salubrem aere, amoenam hortis, laxam aedificiis, adornatam picturis, statuis, et

cetero omni elegantiarum cultu ; eoque se conferre cum pleraque familia solitus sub aestivos dies. Ibi igitur cum Muretus, perrexi et conscendi ad eum satis mane : aestum enim vitabam, qui ut mense Iulio in iis locis grandis. Atque cubiculum eius cum pulsassem, dictus mihi a puero in hortis esse : quos iniens vidi eum molliter sane ac lente inambulantem cum libello. Salutavi : atque illo nec audiente, ut videbatur, nec respondente (lectionis enim totus erat) ego iterum : Vacasne, Murete, an intempestivus advenio ? dic, sodes, et abeo. Iamque avertebam ; sed ille quasi excitatus blandiore ad me voce et accursu, Tun' Lipsius es ? inquit : ignosce : dum unum te video, te non video. Quidni enim videre te dicam et tenere in hoc libello, in quo imago ingenii tui tam expressa ? Nostin' hunc ? (et simul Varias meas propius admovit, quas Antverpia recenter erat nactus) avide et calide legebam, nec, ita me deus amet, explebat. Et o pulchrum pulchri ingenii tui fetum ! Vulpecula tamen hominis cur me celasti ? Erubueram ego ad laudationem eius, et ad libri conspectum et, Itane properiter, inquam, ad te hac nugae ? quae quidem delatae in tam cultas istas oras, audace nimis et infelice penna. Placituras eas aliis qui sperem ? Odi ego pater et (verbo dico) perisse vellem : adeo non laetor peperisse. At quod te celaverim, ne culpa. Per absentiam meam editae : et nec nunc quidem in manus mihi exemplar. Ceterum non ista, Murete, vobis Italis et togatis scripta, sed braccatis meis et pellitis. Itaque nec si habeam prodam. Ille subridens, Hem, inquit, tamne inclemens in novam istam prolem ? Quid autem meruit libellus tersus, lepidus, et in quo ingenii iudiciique tui praeclarae notae ? Repeto iterum pudet et piget genuisse : sperno allevare aut educare. Tantum nunc iudicium vel annus unus addidit, vel caelum hoc Italiae vestrae. Muretus iam severior, Parce, parce, inquit ; in adfectata ista severitate peccas. Sed ne plura de te, apud te : ecce cum maxime intrabas, Lipsi, avidus lector ego in sermone tuo conviviali, qui de Effatu prisco est Latinae linguae. Avidus, sed non satur : quia parciter convivis tuis suggeris, nec imples nos cupita illa dape.

77. E libris instaurandus sermo Romanus ?

Sparsa lingua per gentes tam varias, variavit ipsa : nec patrium illum colorem diu tenuit, aut succum. Vites arboresque translatae degenerant : cur non et sermo ? Aquae in fonte suo aliter, aliter in rivis sapiunt : sermonem tu ubique indolem suam servare vis ? Non potuit : et colorem, ut ita dicam, saporemque mutavit transfusus in tot gentium canales. Ipsos Italos abisse in pronunciando a germanitate illa Cicero fatetur, quae in Romanis : Praenestinos Plautus irridet, verba quaedam vitiose efferentes : in nobis barbaris horum nihil fit ? Qui iam inde sub initia, ut opinor, rectam pronunciandi lineam firmiter nunquam institimus : et magis ab ea excidimus, post mixtionem et influxum tot gentium barbararum. Gothi, Hunni, Vandali, inserti nobis, nec vitium aliquod sermoni fecerit haec contages ? Magnum, praesertim cum non perambularint haec loca, sed inside-rint : et, ut Romani, arma sua pariter intulerint, mores, linguam. Hoc modo interfuit, quod mansio eorum minus diuturna. Itaque non pronunciatio tantum per eos corrupta sonique verborum, sed ipsa verba ; et facta ex varia illa faece miscella quaedam et nova lingua. Hinc Italica ista originem suam habuit, hinc Gallica et Hispana : in quibus Latii vestigia clara vides, et semen prisci ortus. Igitur Festus iure scripsit : *Latine loqui a Latio dictum est ; quae locutio adeo est versa, ut vix ulla eius pars maneat in notitia.* Ego hic interpellans, Hocne Festus ? inquam, et iam tum illo aevo desita prisca lingua ? vix, Murete, fides. Mihi hoc fidum, inquit : et ante mille annos in usu et vita fuisse Italicum hunc sermonem scio, languido aut emortuo Latino. Argumentum mihi ex narratione quae in Historia Miscella, de rebus sub Mauricio imperatore gestis. Ait : *in exercitu cum animans cecidisset, clamante quodam* Torna, torna frater, *universas copias in fugam versas ambiguo illo vocis.* Agnoscis clare Italicismum in iis verbis. Et alterum firmius, ab instrumento quod Lutetiae in Bibliotheca Regis adservatur.

Transactio eo continetur Stephani tutoris cum Gratiano pupillo, scripta anno Iustinianaei imperii trigesimo octavo ; et scripta hac vulgari lingua. At si sermo ipse Romanus periit, qui ambiges de sono ? id est, de re fragili et flexili, et ad omnem occasionem facta frangi. Sed enim sermonem e libris iterum instauravimus. Ita : sed qua arte istum ? non enim scribitur aut pingitur : nec hauriri eum fas nisi a viva voce. Quid verba facio ? sponsione provoco, ni tam corrupta hodierna pronunciatio ista sit, ut si quis e veteribus togatis illis prodeat et nos audiat, non audiat, et vix verbum capiat e denis meis verbis.

78. In controversiam vocatur stylus Lipsi.

Pro amico fecisti, quod libellos qui me tangebant, miseris, quos legi statim : et quid dicam ? parum aut nihil me repperisse, praeter voluntatem laedendi. Designant magis reum, quam peragunt ; et communiter contenti Antiquitatis invidiam nobis obiecisse, desistunt. Mira haec accusandi ratio, pedem non conferre propius, non loca ipsa aut phrases notare et excerpere, quas damnes. Interea cum bene adiecerunt et contempserunt totum hoc nostrum scribere ; metuunt ne iuventus imitetur, et precibus monitisque eam avocant et abducunt. Quid timent, si Veneres aut lepores in eo nulli sint ? si barbara, ut aiunt, et spurca : Sed conscientia ipsos quoque convincit (testor eam et appello) stilum nostrum aliquid vivum, alacre, sed et eruditum habere : quod ipsi ore magis, quam corde spernant. Novimus hoc genus, miselli, manent in suis praeceptiunculis : *Hoc Exordium, haec Narratio est : Hic Allegoria, hic Metaphora :* et praeclare censent Ciceronem se interpretatos, tum et Ciceronianos esse. Quo argumento ? quod elumbia quaedam, et exsanguia scribant : quod iacentia verbis, sensibus, numeris : quod denique sic algentia, ut refrigerare possint Germanicas suas nives. Et o ridiculum ! nec ad Ciceronem quidem serio nos vocant : sed ad Melanchtho-

nem suum, virum mihi, nisi a religione, haud aspernabilem ; sed nec inter duces aut antesignanos ad eloquentiam ponendum. Hunc admirantur, hunc tollunt, numen cum altero suo numine habent : de quo verissimae Bonamicus in Italia interrogatus dixerat : *Videri eum Latine loqui incipere, et tentare*. Revera ita est, isti velut in margine et finibus Latii haerent ; adspiciunt elegantiam, et mirantur ; intra pectus, aut linguam, non admittunt. Atqui nos obscura et et intricata scribimus. Nescio, dicam libere, mihi de me non videri : imo hoc in laudibus meis vel maxime censeo, quod in brevitate nubes vito. Dicant et iudicent, qui Latine modice intelligunt : dicant, qui vel levem gustum habent politioris litteraturae. Quod si ad istos occupatos aut ignavos vocamur, qui supini et oscitantes nos inspiciunt ; cum supercilio, sed et fastidio, imo cum praeiudicio iam legunt : quid speremus ? Et faciant tamen dicantque, misceant Orationes et Carmina : en me vatem (quaeso, liberum hoc potius, quam superbum sit) vivent scripta quaedam Lipsii, et ad posteros venient : imo ipsa Germania, in qua flammulas has invidiae excitant, ipsa Pannonia, et Polonia approbabunt. Nam de Gallicanis et Italis iudiciis, ea parte securi satis sumus. Nec tamen nego esse aliquid alibi in meis scriptis vel vetustius fortasse, vel concisius, dictum : quod sic solum prolatum, in culpam possit cadere : sed idem excusari et erigi, si quo loco, argumento, vel ad quem scriptum sit, videatur. Nempe ecce in *Criticis,* ubi ex professo litteraria et antiqua tracto : quid mali sit, vocem aut phrasim esse interdum antiquiorem ? Ut in epistola ad virum subtilem, et doctum ? cur non brevius aut eruditius scribam ? Fecit Cicero ille, et variavit, cum ad *Lentulum, Pompeium*, *Caelium,* aut *Atticum* scriptitaret. Nec affectatio ea in nobis est, ah quam errant ! eodem calami tenore et impetu, illa mollia aut vulgata, et haec strictiora aut meliora scribimus : quod sciunt, qui a manu mihi fuerunt. Sed caput tamen criminationis vivit, inquies, nec inciditur, *Tullianum te non esse*. De isto alias, et fortasse publice : atque utinam, Tullio ipso iudice, certare hanc litem possim !

79. De formatione stili per triplicem imitationem.

Nec lectio aut selectio adiuverunt sine proba expressione. Ea ut talis sit, per triplicem imitationem distincte te ducam: et quid sequare in unaquaque dicam, et quid vites. In *Puerili*, duo haec tibi propone. Primo, ut in formulas in primis et communia illa contextus totius innitere : secundo, ut ductum, numeros, lineamenta, et faciem Tullianae lectionis et imitere non industrie solum sed paene adfectate et cupide : sic, inquam, ut color quaesitus et fucus appareat, immo et furtum. Ut pueros nil pudet, cum scribere discunt, per singulos litterarum apices aliena manu duci, non item hic te. Clausulas, membra, et periodi cuiuspiam partem cum venia saepe inseres, et centonem e Tullii purpura contexes, paullo post daturus tuam. Exercitii genus quod olim in Germania huic rei proposui, dicere operae pretium habeo, etsi non dictare. Fuit tale. Haec sequere. Quid fugies ? nihil nisi ea quae Grammatici vitant.

At in *Crescente* crescat mihi paullisper iudicium, et servare praecipiam haec tria. Primum, ut in furtis iam verecundior sis : non enim ultra decet. Secundo, ut in formulis exprimendis remissior : non enim ultra opus. Sicut digiti in cithara aegre et cum intentione initio ponuntur, iidem postea ad chordas et numeros sponte veniunt, sic mens istis paullatim assuefacta. Tertium, ut Phrases et Verba meliora undique assumas et formes, ut sic dicam, cutem illam orationis tuae externam. Atque haec sane praecipua hic cura. Quid vitandum ? vitium agnatum verborum delectui, nimia asperitas aut ambiguitas. Quod in Comicis imitandis praecipue mihi cave, et ne quid aut sordidum ab iis dictio tua trahat, aut obsoletum...

Superest Imitatio ultima sive *Virilis* : in qua hoc praecipio, non tam exteriorem illum ornatum spectari debere, quam virtutes et cultum internum, id est, Figuras, Imagines, Acumina, et ea quae appellavi Ornamenta. In quo una cautio, ut cum oratio perfici iam incipiat et summa illa

manus imponi, vitetur Affectatio, infelix sane vitium et quod obrepit specie virtutis. Ea est, nimium cultus studium et sine modo. Quod per te aegre videas aut vites, felix cui doctor hic aliquis aut monitor amicus.

80. In Lipsi scholam veniunt Principes Belgarum.

Principes apud nos fuerunt, excepti pro urbis copia, honeste, et certe benevole : quod et ipsi agnoverunt, ac vicissim affectum hunc rependerunt. In ipsam Academiam et Scholam nostram venerunt : et me etiam audiverunt, quomodo, aut qua occasione ? inquies, quam ipsi quaesiverunt et suggesserunt. Vocavit me circa undecimam matutinam ad se Princeps, benignissimo vultu et verbis excepit, de valetudine mea (insolitum illis) tum etiam de studiis percontatus. Haec omnia Latine, tum adiecit, Velle se audire me docentem, et Numquid post prandium possem ? Nihil decore, aut pro dignitate vestra, inquam, sed tamen imperium omne, ut debeo, accipio. Imo fiat, inquit : veniemus. Sed Infans te videre etiam vult, illi te sistam. Hoc quoque factum, et ego mox domum, et duabus horis meditor aliquid, et me paro. In Scholis Theologorum res gerenda erat, post *Actum* aliquem, ut loquuntur, Theologicum. Itaque surrexi, et coepi dicere. Quid ? inquies. Praefatus aliquid pro tempore, Senecae pauca verba e Cap. III, lib. I. De clementia, quorum initium : *Illius demum* (Principis) *magnitudo stabilis, fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt* : et pauca etiam quae sequuntur. Ea, inquam, Senecae verba, et in iis munus Principum explicavi, et denique addidi de fructu qui tunc maneret, nempe Benivolentiam et Fide subditorum, quam nos Belgae utramque semper erga Principes habuissemus, erga ipsos haberemus. Quid plura dicam ? auditi ita benigne sumus, ut Princeps oculos a me non dimoverit, non animo solum sed corpore in me inclinatus. Idem alia Nobilitas, quae frequens adfuit : et in eam Legatus Regis Hispania-

rum, vir doctus et in me volens, quod scire te cupio. Ipsa etiam Infans adfuit ; quid intellexerit, aut an intellexerit, tu cogitabis. Habes quod hic gestum, satis raro, imo nullo fortasse exemplo, quod etiam femina Princeps in has auditiones venerit. De Republica ipsa melius sperare ego et quivis prudens incipiat, quia Principes dare se magis suis Belgis et eorum moribus palam incipiunt. Saperent modo Batavi, sese nosque in veterem, id est felicem et tranquillum statum, vindicarent. Vale vir amicissime, et Hartio etiam nostro scripta haec sunto. Lovanii, pridie diei, qui D. Andreae sacer, MDXCIX.

APPENDIX I

BLONDUS FLAVIUS (1388-1463)

81-84 : Blondi Flavii Foroliviensis de Roma Triumphante libri X, Romae Instauratae libri III, Italia Illustrata sive lustrata, in regiones seu provincias divisa XVIII, historiarum ab inclinato Ro. Imperio decades III. Basileae, 1559. (Scribebat c. 1430-1440).

81 : In Italiam Illustratam Praefatio : p. 293.

82 : Italia transpadana sive Marchia Tarvisiana : p. 374.

83-84 : Italia Illustrata : Romandiola : p. 345-347.

81. Meliora habet aetas nostra.

Factum est ut Barbaris omnia evertentibus... nedum mille qui effluxerunt annorum gesta sciamus... Itaque postquam propitiore nobis deo nostro meliora habet aetas nostra, et cum ceterarum artium tum maxime eloquentiae studia revixerunt, ac per ea historiarum diligentius noscendarum amor nostros cepit homines, tentare volui si per eam quam sum nactus Italiae rerum peritiam... rerum Italiae obscuritatem illustrare potero.

82. Mutatio locutionis Romanae in vulgarem Italicam.

Nam Langobardi omnium qui Italiam invaserint externorum superbissimi, Romani imperii et Italiae dignitatem evertere ac omnino delere conati leges novas, quae alicubi in Italia extant, condidere, mores ritus gentium et rerum vocabula iminutavere, ut affirmare audeamus locutionis Romanae Latinis verbis, quae nedum Italia sed Romano quoque imperio subiecti plerique populi utebantur, mutationem factam in vulgarem Italicam nunc appellatam, per Longobardorum tempora inchoasse. Idque incognitum nobis quando opus de locutione Romana ad Leonardum Aretinum dedimus : postea didicimus visis Langobardorum legibus, in quibus de mutatione facta multarum rerum vocabuli, tituli tractatusque sunt positi. Quin etiam publicae administrationis et privatim vivendi instituta accuratissime ab eisdem sunt mutata, et eo usque ipsius gentis processit insania ut Romanorum charactere litterarum penitus postposito, novas ipsi et sua ineptia gentis barbariem indicantes cifras pro litteris adinvenerint. Econtra vero Ostrogothi aeque ac cives Romani Latinis delectati litteris nullam in illis barbariem offuderunt.

83. Eloquentiae studia in Italiam reducta.

Populo nunc Ravenna est infrequens... Genuit superiore seculo Ravenna Guilielmum physicum, quem Petropaulus Vergerius notissimum amicissimumque sibi hominem magnis effert laudibus. Genuit etiam eodem tempore Ioannem grammaticum rhetoremque doctissimum, quem solitus dicere fuit Leonardus Aretinus omni in re sed potissimum in hac una gravissimus locupletissimusque testis, fuisse primum a quo eloquentiae studia tantopere nunc florentia longo postliminio in Italiam fuerint reducta, digna certe

cognitio quae a nobis nunc illustranda Italia in medium adducatur. Vident intelliguntque qui Latinas litteras vero et suo cum sapore degustant, paucos ac prope nullos post doctorum ecclesiae Ambrosii Hieronymi et Augustini tempora, quae et eadem inclinantis Romanorum imperii fuerunt, aliquali cum elegantia scripsisse, nisi illis propinqui temporibus Beatus Gregorius ac venerabilis Beda, et qui longo post tempore fuit Bernardus, in praedictorum numero sunt ponendi. Primus vero omnium Franciscus Petrarcha magno vir ingenio maioreque diligentia et poesim et eloquentiam excitare coepit, nec tamen is attigit Ciceronianae eloquentiae florem, quo multos in hoc seculo videmus ornatos, in quo quidem nos librorum magis quam ingenii carentiam defectumque culpamus : ipse enim etsi epistolas Ciceronis Lentulo inscriptos Vercellis reperisse gloriatus est, tres Ciceronis de Oratore, et Institutionum Oratoriarum Quintiliani libros non nisi laceros mutilatosque vidit ; ad cuius notitiam Oratoris maioris et Bruti de Oratoribus claris, item Ciceronis libri nullatenus pervenerunt. Ioannes autem Ravennas Petrarcham senem puer novit, nec dictos aliter quam Petrarcha vidit libros, neque aliquid quod sciamus a se scriptum reliquit, et tamen suopte ingenio et quodam Dei munere, sicut solitus fuit dicere Leonardus, eum Petrum Paulumque Vergerium, Omnebonum schola Patavinum, Robertum Rossum et Iacobim Angeli filium Florentinos, Poggiumque, Guarinum Veronensem, Victorinum Feltrensem, ac alios qui minus profecerunt auditores suos, si non satis quod plene nesciebat docere potuit, in bonarum, ut dicebat, litterarum amorem Ciceronisque imitationem inflammabat. Interea Emmanuel Chrysolora Constantinopolitanus, vir doctrina et omni virtute excellentissimus, quum se in Italiam contulissit partim Venetiis partim Florentiae, partim in curia, quam secutus est, Romana, praedictos paene omnes Ioannis Ravennatis auditores litteras docuit Graecas, effecitque eius doctrina paucis tum continuata annis, ut qui Graecas nescirent litteras, Latinis viderentur indoctiores.

84. Comparata per Italiam codicum copia.

Et quum magnus bene discendi ardor multos in Italia apprehendisset, conciliumque apud Constantiam Germaniae ab universo populo Christiana haberetur, quaerere ibi et investigare coeperunt ex nostratibus multi, si quos Germaniae loca Constantiae proxima ex deperditis Romanorum et Italiae olim libris in monasteriorum latebris occultarent. Quintilianusque integer repertus a Poggio primum transcriptus in Italiam venit, secutaeque sunt incerto nobis datae libertatis patronae Ciceronis ad Atticum epistolae; cumque hic in Quintiliani institutionibus et ad Atticum epistolis nostrorum Italiae adolescentium ingenia desudarent, Gasparinus Bergomensis grammaticus rhetorque celeber primus Venetiis meliori solito doctrina nonnullos erudivit, plurimos ad ea imitanda studia incitavit : florebantque iam et fama celebrabantur Petrus Paulus Vergerius, Leonardus Aretinus, Robertus Rossus, Iacobus Angeli, et Poggius ac Nicola Mediceus, quem praeceptor domi assidue erudierat Aretinus, Guarinusque Venetiis et Victorinus Mantuae multos coeperant erudire, cum Philippus, Mediolanensis dux tertius, Gasparinum a Bergamo subditum hominem invitum Mediolanensibus edocendis Padua et Venetia evocavit. Ubi id maxime adiumenti studiis eloquentiae attulit, quod repertus Laudae a summo viro Gerardo Landriano tunc ibi episcopo multis maximisque in ruderibus Codex Ciceronis pervetustus, et cuius litteras vetustiores paucissimi scirent legere, ad eius perveniens manus interitum evasit. Continebat is codex praeter rhetoricorum novos et veteres qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Oratoribus claris et Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis : unde liberatus est bonus vir Gasparinus ingenti quem assumpserat labore supplendi quoad poterat librorum de Oratore defectus : sicut diu antea in Quintiliani Institutionibus multi labore suppleverat. Et quum nullus Mediolani esset repertus qui eius vetusti codicis litteras sciret legere, Cosmus quidam egregius Cremonensis tres de oratore libros

primus transcripsit, multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo codice repleverunt. Nos vero cum publicis patriae tractandis negotiis Mediolanum adiissemus Brutum de claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus, ex quo primum Veronam Guarino post Leonardo Iustiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta. Quo ex tot librorum ipsius eloquentiae fomitum allato, nostris hominibus adiumento factum videmus ut maior meliorque ea quam Petrarcha habuit dicendi copia in nostram pervenerit aetatem. Nec parvum fuit tum adiumentum ad discendam eloquentiam, tum etiam incitamentum, Graecarum accessio litterarum, quod, qui eas didicere, praeter doctrinam et ingentem historiarum exemplorumque copiam inde comparatam, conati sunt multa ex Graecis in Latinitatem vertere, in quo usu aut assiduitate scribendi reddiderunt quam habebant eloquentiam meliorem, aut, qui nullam prius habebant, inde aliquam effecerunt. Hinc ferbuerunt diu, magisque nunc ac magis fervent per Italiae gymnasia ; plerique sunt civitatibus ludi, in quibus pulcherrimum iucundumque est videre discipulos, nedum postquam sunt dimissi, sed quousque etiam sub ipsa ferula declamant et scribunt, praeceptores dicendi scribendique elegantia superare. Ex his autem quos Ioanni nostro Ravennati diximus fuisse discipulos, duo aetate priores, Guarinus et Victorinus, hic Mantuae ; ille Venetiis Veronae Florentiae et demum Ferrariae infinitam paene turbam et in his Ferrarienses Mantuanosque principes erudierunt. Georgius Trapezuntius publico Romae gymnasio Hispanos, Gallos, Germanosque multos, ut qui non nulli aliquando sunt magni praestantesque viri, simul cum Italicis oratoriae ac poeticae habet. Franciscus vero Philelphus, ab ipsa gente Chrysolora Constantinopoli eruditus, Venetiis Florentiae Senis Bononiae et demum Mediolani Graecas plurimos litteras docuit et Latinas. Quid quod Valla Laurentius non modo suis elegantiis quosdam Neapoli implevit, sed eas quoque per omnem Italiam disseminari obtinuit.

AMBROSIUS TRAVERSARIUS (1378-1439)

85 : (A). Hodoeporicon Ambrosii doctissimi et eloquentissimi Sanctae Camaldulensis Herenii Prioris et eiusdem Ordinis Generalis, anno domini 1431 sedente Eugenio IV. (Ed. Florentiae, 1678 : pp. 33, 34).

(B). Eiusdem Traversarii Epistolae : lib. VIII. Ep. 50, Nicolao Niccolo Mantuae data, 1433.

(C). Ibid. Ep. 51, eidem data, 1433.

(D). Ibid. lib. VII. Ep. 1. Cosmo Mediceo Basileae data, 1435.

85. Apud Victorinum Feltrensem.

(A) Placuit medio ex itinere veluti ex cuniculo deflectere paulisper ut Francisci Petrarchae tumulum in Villa Arqua cerneremus. Vir enim nobilis aetate nostra et litteris deditus, a quo ferme sunt excitata studia humanitatis, ut Mausoleum suum visere cuperem facile de me obtinuerat. Eo salutato precibusque pro ipsius requie fusis contendimus ad Monasterium... Itaque XVI Iulii moventes Monasterio Mantuam vespere venimus. Postea vero quam Victorino Feltrensi amicissimo nostro ... adventus noster innotuit, mira benevolentiae suavitate nobis occurrit. Nusquam fere plus humanitatis invenimus. Per se ipsum denique, per discipulos, bonos viros et eruditos, ut facile de illius ludo esse noscerentur, nobis ita obsecutus est, ut nullam officiosissimi hominis partem in se desiderari pateretur. Volumina quaedam, primo peregrina, ut nobis essent solatio, misit; munusculisque dignissimis prosecutus est, et a latere nostro

quantum fas erat nunquam discedebat. Didicimus continuo hominem illum, cuius gratia adveneramus, abesse : quem Victorinus noster misso nuntio celeri convocavit. Biduum illic integrum fuimus dum illius expectatur adventus, cum lautius semper a Victorino suscepti sumus. Adire illum visendae bibliothecae illius gratia ubi perreximus, occurrit nobis cum Mantuani principis filiis quos instituendos susceperat, aliisque nobilibus ac studiosis ; absque his omnibus deducti expositam Graecorum voluminum struem evertimus, ibique nonnihil peregrinitatis offendimus. Nam praeter ista communia Platonis Plutarchi Demosthenis et caeterorum tum Philosophorum tum Oratorum tum Poetarum tum Historicorum, Orationes quasdam Iuli Caesaris, Homeri vitam ab Herodoto scriptam, Quintiliani musicam et alterius senis de musica opus et Augustinum de Trinitate et quaedam alia notavimus, eaque protinus Nicolao nostro per litteras significavimus, Victorini ipsius amicissimo : reginaeque Berenicis imaginem ex aureo nummo Venetiis expressam misimus. Delectati sumus maxime humanitate viri studioque mirabili non solum adultis verum etiam pueris atque puellis Graecitatem conciliandi. Denique Principis filiam octo ferme annorum ita imbuerat ut legeret iam et scriberet Graecaque et nomina et verba inoffense declinaret non sine admiratione nostra. Pueros praeterea plures eadem ratione docuerat, et si quos forte boni ingenii animadverterat, eos si essent pauperes educabat et instruebat, magnum se reputans fructum ex eorum profectu reportare... Inde cum proficisci ante lucem pararemus, praevenit nos Victorinus noster eques cum sociis, nosque tribus ferme passuum millibus deduxit abeuntes, cum amovere eum a nostro comitatu nulla ratione possemus. Totus illi sermo de litteris de probitate de modestia de viris nostrae aetatis illustribus. Vix tandem illum e complexu nostro lacrimantem dimisimus, quo die Veronam hora ferme IX pervenimus. (Iul. 1431).

(B). His iam obsignatis adivi denuo Victorinum humanitatis profecto condimentum, cuius ardenti ingenio et prae-

cipuo ad studia humanitatis adfectu eximie sum delectatus. Vidi latinum volumen Augustini de musica et categorias quae inscribuntur Augustini. Et ut vel ipsius vel alterius doctissimi viri esse credam, facile iuducit stylus ipse et amoenus et facilis. Vidi et Acronis commentum in Odas Horatii, Iulii item Firmici matheseos libros octo quos transcribi accuratissime iussi. Obtinui a non renitente ut Orationes illas Iuliani Augusti et Homeri vitam et Quintilianum illum et Bacchium tuo nomine transcribendos curaret. Libentissime annuit, quippe qui ad hoc suo iam impetu ferebatur. Quam cupivi te interesse sermonibus nostris ! Voluptatis profecto plurimum et ipse accepisses et accessisset nobis. (XII. Kal. Aug. 1433).

(C). Postquam scripseram et obsignaveram litteras profectus sum ut reviserem Victorinum Graecamque ipsius discuterem bibliothecam. Occurrit nobis ille cum filiis Principis maribus duobus et puella VII annorum. Duo item alii pueri X ferme annorum singuli, Dominorum aliorum filii. Aderant cum illo et frequentes discipuli. Venimus ubi Graecorum voluminum parata erat strues. Vidimus singulatim : omnia fere XXX erant, notissima omnia praeter pauca. Aristotelis complura vidi, sed ea omnia sunt apud nos. Diligentiam hominis usque admiratus sum : Principis filios et puellam graecas docet litteras, omnesque graece scribere didicerunt. Novem sunt ferme pueri qui scribunt adeo venuste ut admiratus sim. Vidi Chrysostomi traductionem ab uno ex discipulis eius factum, satisque placuit. Tres alii provectiores egregie proficiunt. Fui secum per multam horam : contulimus omnia, bonitatemque et doctrinam viri osculatus sum. Placuit haec addere prioribus litteris. (XII. Kal. Aug. 1433).

(D). Contendimus ad Castellum Goioda, ubi Victorinus cum filiis Principis remorari dicebatur a Mantua XII millibus passuum disparatum. Offendimus prandentes. Victorinus obviam profectus ex gaudio lacrimis temporare non poterat. Ei causam adventus mei nuntiavi, scilicet tam ipsum quam omnes ex eius ludo viserem. Amplexatus sum

ex animo totius humanitatis condimentum, quum ille vicissim a colle penderet nostro, nec satiaremur conspectu et colloquio mutuo. Dedit in conspectum Principis filium Ioannem Lucidum puerum annorum XV a se educatum et eruditum. Recitavit ille versus ad ducentos a se factos, quibus pompa describitur, quando Imperator Mantuam ingressus est tanta suavitate pronuntiationis ut miraculum subierit mihi : vix enim putem Virgilium, cum sextum Aeneidos Augusto praesente recitasset, plus gratiae in pronuntiando habuisse. Carmen erat pulcherrimum : sed addebat suavitas dicentis multum dignitatis et elegantiae. Ostendit propositiones duas in geometria Euclidis ab se additas cum figuris suis, ut aestimare plane iam nunc liceat quam sit valiturus ingenio. Adfuit puella quoque Principis filia decennis ferme, graece adeo scribens eleganter ut pudori fuerit quod ex omnibus ferme quos erudire unquam perrexi vix ullus tam pulchre scribat. Aderant de schola illius adolescentes illustres et equestris etiam ordinis, summoque honore me exceperunt, auctore Victorino qui diceret sua omnia esse mihi communia. Volebat ille quidem ut integrum ibi diem ageremus, verum excusantes itineris necessitatem ad sex millia deduxit comitantibus plurimis. Inter loquendum (nam de studiis humanitatis omnis sermo fuit) ortus est de pueris nostris sermo, quanto studio ab optimo praeceptore educarentur, mirificeque gratulatus est. Dimisi ab illo : die ipso Veronam venimus. (III Kal. Sept. 1435).

LAURENTIUS VALLA (1407-1457)

86-89 : Laurentii Vallae Patritii Romani in sex Elegantiarum Libros praefationes.
86-88 : Praefatio in librum I.
89 : Praefatio in librum III.

86. Comparatio imperii sermonisque Romani.

Quum saepe mecum nostrorum maiorum res gestas aliorumque vel regum vel populorum considero, videntur mihi non modo ditionis nostri homines verum etiam linguae propagatione ceteris omnibus antecelluisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Graecos aliosque permultos longe lateque rerum potitos esse, quosdam etiam, ut aliquanto inferius quam Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse constat : nullos tamen ita linguam suam ampliasse, ut nostri fecerunt, qui (ut oram illam Italiae quae magna olim Graecia dicebatur, ut Siciliam, quae Graeca etiam fuit, ut omnem Italiam taceam) per totum paene Occidentem, per Septentrionis, per Africae non exiguam partem brevi spatio linguam Romanam (quae etiam Latina a Latio, ubi Roma est, dicitur) velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem praebuerunt : opus nimirum multo praeclarius, multoque speciosius, quam ipsum imperium propagasse. Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affici solent, atque imperatores nominantur : qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ii non humana sed divina potius laude celebrantur. Quippe qui non suae tantum urbis amplitudini ac gloriae consulant, sed publicae quoque hominum utilitati ac saluti. Itaque nostri maiores rebus bellicis pluribusque

laudibus ceteros homines superarunt, linguae vero suae ampliatione se ipsis superiores fuerunt, tanquam relicto in terris imperio consortium deorum in coelo consecuti. An vero Ceres quod frumenti, Liber quod vini, Minerva quod olei inventrix putatur, multique alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt ; Linguam Latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem et vere divinam, nec corporis sed animi cibum : haec enim gentes illas populosque omnes omnibus artibus, quae liberales vocantur, instituit : haec optimas leges edocuit, haec viam ad omnem sapientiam munivit, haec denique praestitit, ne barbari amplius dici possent. Quare quis aequus rerum existimator non eos praeferat qui sacra litterarum colentes, iis, qui bella horrida gerentes clari fuerunt : illos enim regios homines, hos vero divinos iustissime dixeris quibus non (quemadmodum ab hominibus fit) aucta res publica est maiestasque populi Romani solum, sed (quemadmodum a diis) salus quoque orbis terrarum : eo quidem magis quod, qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere et (quod acerbius est) libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuria. Ex sermone autem Latino non suum imminui, sed condiri quodammodo intelligebant,... Et sicut gemma aureo inclusa annulo non deornamento est, sed ornamento, noster sermo accedens aliorum sermoni vernaculo contulit splendorem, non sustulit. Neque enim armis aut cruore aut bellis dominatum adeptus est, sed beneficiis, amore, concordia. Cuius rei (quantum coniectura suspicari licet) hoc, ut ita loquar, seminarium fuit, primum, quod ipse maiores incredibiliter se in omni studiorum genere excolebant, ita ut ne in re quidem militari aliquis, nisi idem in litteris, praestans esse videretur, quod erat ceteris ad aemulationem non exiguum incitamentum : deinde quod ipsis litterarum professoribus praemia egregia sane proponebant, postremo, quod hortabantur provinciales omnes ut cum Romae, tum in provincia Romane loqui consuescerent. Ac (ne pluribus agam) de comparatione imperii sermonisque Romani, hoc satis est dixisse.

87. Ubi lingua, ibi imperium.

Illud pridem, tanquam ingratum onus, gentes nationesque abiecerunt hunc omni nectare suaviorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaque pretiosiorem putaverunt, et quasi Deum quendam e coelo demissum apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profecto numen, quod apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes sancte ac religiose per tot secula custoditur, ut non tam dolendum nobis Romanis quam gaudendum fuit atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum, tametsi non nostra sed temporum culpa : verumtamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum multaeque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium est, ubicunque Romana lingua dominatur. Eant igitur nunc Graeci, et linguarum copia se iactent. Plus nostra una efficit, et quidem inops (ut ipsi volunt) quam illorum quinque (si eis credimus) locupletissimae : et multarum gentium velut una lex, una est lingua Romana : unius Graeciae (quod pudendum est) non una, sed multae sunt tanquam in Republica factiones. Atque exteri nobiscum in loquendo consentiunt, Graeci inter se consentire non possunt, nedum alios ad sermonem suum se perducturos sperent. Varie apud eos loquuntur auctores, Attice, Aeolice, Ionice, Dorice, κοινῶς; apud nos, id est, apud multas nationes, nemo nisi Romane, in qua lingua disciplinae cunctae libero homine dignae continentur, sicut in sua multiplici apud graecos : qua vigente, quis ignorat studia omnia, disciplinasque vigere, occidente occidere? Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi iure consulti, summi denique scriptores? nempe ii, qui bene loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere volentem impedit dolor et exulcerat, lacrimarique cogit intuentem quo ex statu et in quem facul-

tas ista reciderit. Nam quis litterarum, quis publici boni amator a lacrimis temperet, cum videat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta ab Gallis? omnia incensa, eversa, diruta, ut vix Capitolina supersit arx. Siquidem multis iam seculis non modo Latine nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit : non philosophiae studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei iure consultos, non ceteri lectores veterum libros perceptos habuerunt, aut habent, quasi amisso Romano Imperio non decet Romane aut loqui aut sapere, fulgorem illum Latinitatis situ ac rubigine passi obsolescere. Et multae quidem sunt prudentium hominum variaeque sententiae, unde hoc rei occiderit, quarum ipse nullam nec improbo nec probo, nihil sane pronunciare ausus : non magis quam cur illae artes, quae proxime ad liberales accedunt, pingendi, scalpendi, fingendi, architectandi, aut tamdiu tantoque opere degeneraverint, ac paene cum litteris ipsis demortuae fuerint, aut hoc tempore excitentur ac reviviscant, tantusque tum bonorum opificum, tum bene literatorum proventus efflorescat. Verum enim vero quo magis superiora tempora infelicia fuere, quibus homo nemo inventus est eruditus; eo plus his nostris gratulandum est, in quibus (si paullo amplius adnitamur) confido propediem linguam Romanam vivere plus quam urbem, et cum ea disciplines omnes iri restitutum. Quare pro mea in patriam pietate, adeo in omnes homines et pro rei magnitudine cunctos facundiae studiosos, velut ex superiore loco libet adhortari evocareque et illis (ut aiunt) bellicum canere.

88. Quousque Latinitatem esse oppressam patiemini?

Quousque tandem, Quirites (literatos appello et Romanae linguae cultores, qui et vere et soli Quirites sunt, ceteri enim potius inquilini), quousque, inquam, Quirites, urbem vestram, non dico domicilium imperii, sed parentem litterarum a Gallis esse captam patiemini, id est, Latinitatem a

barbaris oppressam? Quousque profanata omnia duris et paene impiis oculis aspicietis? An dum fundamentorum reliquiae vix appareant? Alius vestrum scribit historias : istud est Veios habitare. Alius Graeca transfert : istud est Ardeae considere. Alius orationes, alius poemata componit istud est Capitolium arcemque defendere. Praeclara quidem res, et non mediocri laude digna : sed non hoc hostes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis, Camillus imitandus est, qui signa (ut inquit Vergilius) in patriam referat, eamque restituat : cuius virtus adeo ceteris praestantior fuit, ut illi qui vel in Capitolio vel Ardeae vel Veiis erant, sine hoc salva esse non possent. Quod hoc quoque tempore continget, et ceteri scriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid composuerit, non parum adiuvabuntur. Equidem, quod ad me attinet, hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo (quantulumcunque vires meae ferant) exercitum, quem in hostes quamprimum educam ; ibo in aciem, ibo primus, ut vobis animum faciam. Certemus, quaeso, honestissimum hoc pulcherrimumque certamen, non modo ut patriam ab hostibus recipiamus, verum etiam ut in ea recipienda qui maxime Camillum imitabitur, appareat. Difficillimum quidem praestare, quod ille praestitit, omnium imperatorum mea sententia maximus, riteque secundus a Romulo conditor urbis appellatus. Ideoque plures pro se quisque in hanc rem elaboremus, ut saltem multi faciamus, quod unus effecit.

89. Latinitas apud iurisconsultos Romanos elegans.

Perlegi proxime quinquaginta Digestorum libros, et relegi cum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum, quod nescias utrum diligentia an gravitas, prudentia an aequitas, scientia rerum an orationis dignitas praestet, et maiore laude digna esse videatur. Deinde quod haec ipsa ita in unoquoque illorum omnia sunt egregia et perfecta, ut vehementer dubites, quem cui praeferendum putes. Cui

simile quoddam in epistolis Ciceronis admirari solebam : quae cum a pluribus scribantur, omnes tamen ab uno eodemque (audacius dixerim) si personas sustuleris, ab uno Cicerone scriptae iudicentur. Ita verba ac sententiae characterque ipse dicendi ubique sui est similis. Quod eo magis in Iurisconsultis est admirandum, quod illi eadem aetate cuncti extiterunt in eodem quasi ludo ac schola instituti. Hi vero inter se etiam seculis distant, licet omnes post Ciceronem. Ideoque quibusdam in verbis ab eo differentes, quales omnes a Vergilio usque ad Livium fuerunt... Et prisci illi quidem Iuris consulti quales quantique in eloquendo fuerint, iudicare non possumus : quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus versantur, nihil est, mea sententia, quod addi adimive posse videatur, non tam eloquentiae (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quam Latinitatis atque elegantiae ; sine qua caeca omnis doctrina est et illiberalis, praesertim in iure civili. Ut enim Quintilianus inquit, omne ius aut in verborum, interpretatione positum est, aut aequi pravique discrimine. Nota sunt eorum, et nimis nota nomina, ut supervacuum sit ea per me recenseri, qui vix quintam partem iuris civilis intelligunt, et ob velamentum imperitiae suae aiunt non posse doctos evadere in iure civili facundiae studiosos, quasi iurisconsulti illi aut rustice locuti sint, id est, istorum more, aut huic scientiae non plane satisfecerint. Quid de illis loquor ? Ego mediocri ingenio et mediocri literatura praeditus, profiteor me omnes qui ius civile interpretantur, ipsorum scientiam edocturum... me glossas in Digesta triennio conscriptorum, longe utiliores Accursianis. Merentur enim, merentur summi illi viri nancisci aliquem qui vere riteque eos exponat, vel certe a male et Gothice potius quam latine interpretantibus defendat. Gothi isti quidni et Vandali existimandi sunt ? Nam postquam hae gentes semel iterumque Italiae influentes Romam ceperunt, ut imperium eorum, ita linguam quoque (quemadmodum aliqui putant) accepimus, et plurimi forsan ex illis oriundi sumus. Argumento sunt codices Gothice scripti, quae magna multitudo

est : quae gens si scripturam Romanam depravare potuit, quid de lingua, praesertim relicta sobole, putandum est ? Unde post illorum adventum primum alterumque omnes scriptores nequaquam facundi. Ideo prioribus multo inferiores fuerunt. En quo literatura Romana recidit. Veteres admiscebant linguae suae Graecam. Isti admiscent Gothicam. Neque vero hoc dico, ut iuris studiosos carpam, immo ut adhorter potius persuadeamque, sine studiis humanitatis non posse, quam cupiunt, assequi facultatem. Quae enim disciplina, scilicet quae publice legitur, tam ornata atque (ut sic dicam) tam aurea, ut ius civile ? An (ut hinc incipiam) ius pontificium, quam canonicum vocant, quod ex maxima parte Gothicum est ? An philosophorum libri, qui ne a Gothis quidem aut Vandalis intelligerentur ? Quos ego ob hoc maxime errare, quod loquendi facultate caruerunt, in libris meis de Dialectica ostendo. An grammaticorum, quorum propositum videtur fuisse, ut linguam Latinam dedocerent ? An denique rhetoricorum, qui ad hanc usque aetatem plurimi circumferebantur, nihil aliud docentes quam Gothice dicere ? Una supererat iuris civilis scientia, adhuc inviolata et sancta, et quasi Tarpeia arx, urbe direpta. Hanc etiam isti Gothi, non Galli, per speciem amicitiae polluere atque evertere tentaverunt, evertereque pergunt. Hanc ipse, quantum in me erit, ut Marcus Manlius Torquatus protegam : immo omnes qui hoc nomen profitentur, protegere debent... Quod ad meum hoc opus pertinet, non fraudabo iuris conditores debita laude. Tantum igitur deberi puto huius facultatis libris, quantum illis olim qui Capitolium ab armis Gallorum atque insidiis defenderunt per quos factum est, ut non modo tota urbs amitteretur, verum etiam ut tota restitui posset. Itaque per quotidianam lectionem Digestorum, et semper aliqua ex parte incolumis atque in honore fuit lingua Romana, et brevi suam dignitatem atque amplitudinem recuperabit.

ANGELUS POLITIANUS (1454-1494)

90-92 : Angeli Politiani Epistolarum libri duodecim. Basileae, 1553.
90-91 : Ang. Politianus Iacobo Antiquario (iv. 2).
92 : Idem Paulo Cortesio (viii. 16).

90. Mors Laurentii Medicis.

Ille ubi me vidit, vidit autem statim, vocat ad se rursum, quaeritque perblande, quid Picus Mirandula suus ageret. Respondeo manere eum in urbe, quod vereatur ne illo si veniat, molestior sit. At ego, inquit, vicissim ni verear ne molestum sit ei hoc iter, videre atque alloqui extremum exoptem prius quam plane e vobis emigro. Vin' tu, inquam, accersatur? Ego vero, ait ille, quam primum. Ita sane facio : venerat iam, assederat, atque ego quoque iuxta genibus incubueram, quo loquentem patronum facilius, utpote defecta iam vocula exaudirem. Bone Deus, qua ille hunc hominem comitate, qua humanitate, quibus etiam quasi blanditiis excepit! Rogavit primo ignosceret, quod ei laborem hunc iniunxisset, amori hoc tamen et benevolentiae in illum suae adscriberet, libentius sese animam editurum, si prius amicissimi hominis aspectu morientes oculos satiasset. Tum sermones iniecit urbanos, ut solebat, et familiares. Nonnihil etiam tunc quoque iocatus nobiscum, quin utroque intuens nos, Vellem, ait, distulisset me saltem mors haec ad eum diem, quo vestram plane bibliothecam absolvissem. Ne multis : Abierat vixdum Picus, cum Ferrariensis Hieronymus, insignis et doctrina et sanctimonia vir, caelestisque doctrinae praedicator egregius, cubiculum ingreditur, hortatur ut fidem teneat ; ille vero tenere se ait

inconcussam. Ut quam emendatissime post hac vivere destinet : scilicet facturum obnixe respondit : ut mortem denique, si necesse sit, aequo animo toleret : Nihil vero, inquit ille, iucundius, siquidem ita deo decretum sit. Recedebat homo iam, cum Laurentius : Heus, inquit, benedictionem, pater, prius quam a nobis proficisceris. Simul demisso capite, vultuque, et in omnem piae religionis imaginem formatus, subinde ad verba illius et preces rite ac memoriter responsitabat, ne tantillum quidem familiarium luctu aperto iam neque se ulterius dissimulante commotus. Diceres indictam ceteris, excepto Laurentio, mortem... Post id blande singulos amplexatus petitaque suppliciter venia, si cui gravior forte, si molestior morbi vitio fuisset, totum se post illa perunctioni summae demigrantisque animae commendationi dedidit. Recitari dein evangelica historia coepta est, qua scilicet irrogati Christo cruciatus explicantur, cuius ille agnoscere se verba et sententias prope omneis, modo labra tacitus movens, modo languenteis oculos erigens, interdum etiam digitorum gestu significabat. Postremo sigillum crucifixi argenteum, margaritis gemmisque magnifice adornatum, defixis usque quaque oculis intuens identidemque deosculans expiravit.

91. Exsplendescebat Laurentii magnificentia.

Vir ad omnia summa natus, et qui flantem reflantemque toties fortunam usque adeo sit alterna velificatione moderatus, ut nescies utrum secundis rebus constantior, an adversis aequior an temperantior apparuerit. Ingenio vero tanta ac tam facili, et perspicaci, ut quibus in singulis excellere alii magnum putant, ille universis pariter emineret. Nam probitatem, iustitiam, fidem nemo, arbitror, nescit ita sibi Laurentii Medicis pectus atque animum, quasi domicilium aliquod templumque gratissimum delegisse. Iam comitas, humanitas, affabilitas quanta fuerit, eximia quadam in eum totius populi atque omnium planè ordinum benevolentia

declaratur. Sed enim inter haec omnia liberalitas tamen et magnificentia explendescebat quae illum paene immortali quadam gloria ad deos usque provexerat : cum interim nihil ille famae dumtaxat causa et nominis, omnia vero virtutis amore persequebatur. Quanto autem literatos homines studio complectebatur, quantum honoris, quantum etiam reverentiae omnibus exhibebat, quantum denique operae industriaeque suae conquirendis toto orbe terrarum coemendisque linguae utriusque voluminibus posuit, quantosque in ea re, quam immanes sumptus fecit, ut non aetas modo haec, aut hoc seculum, sed posteritas etiam ipsa in huius hominis interitu iacturam fecerit... Duobus circiter ante obitum mensibus cum in suo cubiculo sedens (ut solebat) Laurentius de philosophia et litteris nobiscum fabularetur, ac se destinasse diceret reliquam aetatem in iis studiis mecum et cum Ficino Picoque ipso Mirandula consumere, procul scilicet ab urbe et strepitu : negabam equidem hoc ei per suos cives licere, qui quidem indies viderentur magis magisque ipsius et consilium et auctoritatem desideraturi... Cui si parem similemque nostra aetas unum forte atque alterum tulit, potest audacter iam de splendore nominis et gloria cum vetustate quoque ipsa contendere. Vale. XV Kalendas Iunias MCCCCXCII ; in Faesulano rusculo.

92. Non Ciceronem, sed me ipsum exprimo.

Remitto epistolas diligentia tua collectas, in quibus legendis (ut libere dicam) pudet bonas horas male collocasse. Nam praeter omnino paucas, minime dignae sunt quae vel a docto aliquo lectae vel a te collectae dicantur. Quas probem, quas rursus improbem, non explico. Nolo sibi quisquam vel placeat in his, auctore me, vel displiceat. Est in quo tamen a te dissentiam de stylo nonnihil. Non enim probare soles (ut accepi) nisi qui lineamenta Ciceronis effingat. Mihi vero longe honestior tauri facies, aut item

leonis, quam simiae videtur, quae tamen homini similior est. Nec ii qui principatum tenuisse creduntur eloquentiae similes inter se, quod Seneca prodidit. Ridentur a Quintiliano qui se germanos Ciceronis putabant esse, quod his verbis periodum clauderent, *esse videatur*. Inclamat Horatius imitatores ac nihil aliud quam imitatores. — Mihi certe quicunque tantum componunt ex imitatione, similes esse psittaco vel picae videntur, proferentibus quae nec intelligunt. Carent enim quae scribunt isti viribus et vita, carent actu, carent effectu, carent indoles iacent, dormiunt, stertunt. Nihil enim verum, nihil solidum, nihil efficax. Non exprimis (inquit aliquis) Ciceronem. Quid tum? Non enim sum Cicero, me tamen (ut opinor) exprimo... Sed ut ad te redeam, Paule, quem penitus amo, cui multum debeo, cuius ingenio plurimum tribuo, quaeso ne superstitione ista te alliges, ut nihil delectet, quod tuum plane sit, et ut oculos a Cicerone nunquam deicias... Postremo scias, infelicis esse ingenii, nihil a se promere, semper imitari. Vale.

IOANNES FRANCISCUS PICUS (1463-1494)

93 : Ioannes Picus Mirandulanus Hermolao Barbaro Aquileiae Patriarchae.
94 : Io. Fr. Picus Petro Bembo.

93. Inter oratoris munus ac philosophi pugna.

Ita es doctus, gravis, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus, in quo nihil expositum nihil sit triviale, sive verba sive sententias spectes. Legimus saepe ego et noster Politianus quascunque habemus tuas aut ad alios aut ad nos epistolas : ita semper prioribus certant sequentia, et novae fertiliter inter legendum efflorescunt gratiae, ut perpetua quadam acclamatione interspirandi locum non habeamus. Sed mirum dictu quod persuadeas, et legentis animum quocunque velis impellas. Expertus sum ego cum semper alias tum hac proxima tua ad me epistola, in qua dum barbaros hos philosophos insectaris, quos dicis haberi vulgo sordidos rudes incultos, quos nec vixisse viventes, nedum extincti vivant : et si nunc vivant, vivere in poenam et contumeliam. Ita porro sum commotus : ita me puduit piguitque studiorum meorum. Iam enim sexennium apud illos versor, ut non minus me fecisse velim quam in tam nihil facienda re tam laboriose contendisse. Perdideram ego, inquam, apud Thomam, Ioannem Scotum, apud Albertum, apud Averroem meliores annos, tantas vigilias, quibus potuerim in bonis litteris fortasse non nihil esse... Viximus celebres, o Hermolae, et posthac vivemus, non in scholis grammaticorum sed in philosophorum coronis et conventibus sapientum, ubi non de matre Andromaches, non de Niobes filiis atque id genus levibus nugis, sed de humanarum divinarumque rerum rationibus agitur et disputatur... Si quis nos arguet hebetudinis aut tarditatis, age,

amabo, quicunque is est pedem conserat : experietur habuisse barbaros non in lingua sed in pectore Mercurium : non defuisse illis sapientiam, si defuit eloquentia, quam cum sapientia non coniunxisse : tam fortasse abest a culpa ut coniunxisse sit nefas. Quis non concinnos, quis non fucum in proba virgine non damnat et detestetur ? Tanta est inter oratoris munus et philosophi pugna, ut pugnare magis invicem non possint. Nam quid aliud rhetoris officium quam mentiri, decipere, circumvenire, praestigiari?... Sed, amabo, incognoscamus quid isthaec sit latinitas, quam solam dicitis debere philosophos, et non persolvere. Si dicendo incurrat exempli causa a sole hominem produci, causari hominem nostrates dicent. Clamabis actutum : hoc non est latinum. Hoc usque verum : non est Romane dictum, hoc vere verius. Igitur non recte. Peccat argumentum : dicet Arabs eandem rem, dicet Aegyptius ; non dicet latine, sed tamen recte... Quid prohibet hosce philosophos, quos nuncupatis barbaros, conspirasse in unam dicendi normam, apud eos non secus sanctam ac habeatur apud vos Romana? Illam non rectam cur appelletis, appelletis vestram ? ... Quodsi dignari illam Romani nominis appellatione non vultis, Gallicam vocetis, Britannicam, Hispanam, vel quod vulgares dicere solent Parisiensem. Cum ad vos loquentur, continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi : idem accidet vobis apud eos loquentibus... Dicam libere quod sentio. Movent mihi stomachum grammatistae quidam, qui quum duas tenuerint vocabulorum origines, ita se ostentant, ita circumferunt iactabundi, ut prae se ipsis pro nihilo habendos philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce vestras philosophias. Et quid mirum ? nec Falernum canes... Florentiae III. Non. Iun. MCCCCLXXXV.

94. Aliud furari, imitari aliud.

An putas, Bembe, ullos nostri temporis Ciceroni fore in loquendo similes, nisi in intelligendo etiam similes fuerint ?

Sane Augustinus eos non probat, qui linguam Ciceronis tantum, non autem pectus admirantur ; ut qui probe noverit eruditam et ornatam linguam, nisi ab exculti pectoris imaginibus prodire potuisse... Sed finge, quaeso, te materiam eandem aut non dissimilem, finge etiam potiorem nobilioremque invenisse : putabisne propterea posse te illam ipsam Tulliana elocutione pertractare? Ubi enim eaedem erunt periodi, caesa, membra, pedes et numeri apud illum semper varii? quae quidem varietas indeprehensa est. Alii enim habentur in actionibus (nam illa omnino est popularis oratio), alii in libris philosophiae, quibus doctis scribebat, alii in epistolis, atque iidem etiam saepenumero diversi, ut diversi erant et animi affectus, et res de quibus agebatur, et homines quibus sua sensa per literas significabat. Periodi caesis membrisque constituuntur, hac vero nominum verborumque compositione atque conflatu constant. Illa vero compositio atque commixtio tam est varia quam sunt in oratione clausulae, quos magis ad numerum nosse non potes,

Quam scire quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Sola enim verbi cuiuspiam transpositione variantur : nec pedes et numeri stati sunt atque perpetui ; eos ad aurium iudicium (quod est quidem longe diversissimum) Cicero delegavit. Quare non semper ab exemplari, quasi a praetoris edicto, aut a duodecim tabulis petendi sunt, sed ex animi auriumque sententia...

Oportet itaque gerere animo conceptus Ciceronis, esse praeterea instructos rerum multarum et magnarum doctrina et experimentis eos, qui se existimant vivam linguam Ciceronis assecutos : ne, si Tulliano careat spiritu, eos Cato nuncupet Mortuaria Glossaria. Dices fortasse te verba primum observaturum, inde numeros, lineamenta structuramque omnem, nihilque prorsus afferre quod non sit etiam allatum a Cicerone, nec aliis omnino loqui de rebus velle quam de iis de quibus ipse disseruit. Hoc furari erit, Bembe, non imitari.

ALEXANDER DE VILLA DEI (fl. 1200)

(Doctrinale Puerorum)

95 : Excerpta de re grammatica pueris tradenda, 1430-1530 : Vegius ; Valla ; Guarinus, B ; Mancinellus ; Iodocus Badius Ascensius; Aelius Antonius Nebrissensis ; Pylades Buccardus Brixianus ; Ioannes Despauterius.

95. Abeat iam barbarus Alexander.

(A) Mafeus Vegius Laurentio Vallae S.

Quodsi tandem adversandi aliis tanta tibi voluptas est, age, me iudice, accinge te in grammaticos : in hos irrue forti manu, in his tibi victoria, in his triumphus et laus sempiterna, quod fecisti egregie in eo quod nuper publicasti opere Elegantiarum tuarum. (c. an. 1441).

(B) Laurentius Valla Serrae amico suo S.

Hanc faecem hominum ferre possent, qui aut de arte grammatica aut de rhetorica aut de significatione vocabulorum aut de expositione auctorum libros reliquerunt? Pudet hos nominare... Martinum, qui de modis significandi volumina evomuit, Alexandrum, qui praecepta latina a Prisciano sumens barbaris versibus enuntiavit et de suo multum erroris adiecit. (Caietae, c. annum 1441).

(C) Baptista Guarinus de modo et ordine docendi et discendi (Ed. Heidelberg. 1489. A. v. r.).

Ita et in poetarum lectione maiore suavitate afficitur qui versuum rationes habet, quam qui ea caret, nec in carmine

tantum ea prodest, sed et in ea quam vocant rhetores numerosam orationem quae pedibus metricis constat... Ad eam sententiam non inutilis erit is liber qui sub Alexandri nomine versibus habetur. (1459).

(D) Antonii Mancinelli SPICA ad Iacobum Sutrinum Episcopum Calascensem. (1487-1493).

Antonius Illuminatus de Monte Novo Antonio Mancinello S. P.

Salve, mi Mancinelle. Accepi litteras quas ad me Balthesari communi discipulo dederas cum opusculis tuis : corpore quidem parvis, at puri et latini sermonis copia immensis. Etenim ceteris typis angustia omissis SPICAM percurri, quae mihi frugifera visa est, ut nihil hactenus ad puerorum eruditionem (absit omnis livor) compendiosius acutilius editum intuear. Nihil namque mancum aut pravum, sed omnia dextima et rectissima sapiunt. Abeat iam barbarus Alexander, et barbaram cum sua barbarie repetat patriam ; et vere Romanus ac elegans Mancinellus ubique vigeat et decantetur. Gaudeo mihi et ceteris grammatices professoribus qui sine labore et fastidio in tradentis artis grammaticae erudimentis proficere poterimus. Iterum vale, decus meum. Ex Monte Novo, X. Kalend. Sextiles, MCCCCLXXXI.

(E) Antonius Mancinellus Veliternus Pindaro Quinto et Sexto filiolis suis S.

Donati libellum grammaticae editum pluribus quidem in locis scriptorum incuria depravatum vobis elimare constitui. Est enim difficile mutare animi habitum semel constitutum. Et ut Fabius meminit : natura tenacissimi sumus eorum quae rudibus animis percipiuntur. Visum insuper, quo et vobis et posteris ego prodessem, difficiliora quaevis vernacula lingua exponere ; non enim studiorum initia docti solum exercent, uti par esset. Itaque ne vera et recta doctrina careatis, ne etiam ab errore lapsos revocare oporteat, habetis hodie quonam pacto rite auspicari possitis... Valete quam optime dulcissima proles. Datum in urbe, Kalend. Decemb. Anno MCCCCLXXXVII.

(F) Iodocus Badius Ascensius grammaticae studiosis Salutem.

Relegi his diebus Antonii Mancinelli Veliterni varia de sermone latino opuscula, vel ab eo collecta vel castigata... Quae omnia Iacobi Huguetani impensis edita condigno redimetis, si quidem mihi auscultabitis, precio.

(G) Rudimenta Ascensiana cum prima parte Doctrinalis diligenter recognita et explanata cum Syntaxi penitus per eundem reposita. Venundantur Badio cum gratia, et privilegio in quadriennium, 1523.

Iodocus Badius Ascensius D. Ioanni Buluto grammaticorum Regalis Navarrorum Collegii Magistro S. D.

Artem grammaticam, quae M. Fabio Quintiliano assertore plus habet in recessu quam fronte promittat, pro virili mea parte repositurus sollicite disquirere coepi qua potissimum via in eam rem ingrederer... Placuit tamen nomen et ordinem ab Alexandro institutum retinere, duplici caritate, altera in scholasticos, altera in Alexandrum sua tempestate quam optime de tota Gallia meritum. V. Kal. Sept. MDXXIII.

(H) Doctrinalis magistri Alexandri de Villa Dei Partes Prima, Secunda : Parisiis, M. D.

Iodocus Badius Ascensius Aegidio Ghiis. Auctorem ipsum multi iam pridem explosum velint... Ceterum cum omnis Belgica inventus ad vos veluti ad commune atque idem locupletissimum litterarum emporium, Alexandrinis plerumque rudimentis imbuta confluit, si reiecte Doctrinali aptius quippiam emissum amplecteremini, necessum esset cum summa et docentium et discentium difficultate quaecumque receperint dedocere. Quo circa consultius visum est veteri calle progredi... Ex officina nostra litteraria Parrhisiis XV. Kal. Sept. M. D.

(I) Aelii Antonii Nebrissensis Introductiones in Latinam Linguam... Ex impressione Cantabrica [Logronii 1510].

Antonii Nebrissensis prologus ad optimam eandemque maximam Augustam Elisaben. ...Iam ab ipso statim operis

initio profitemur nos non artem grammaticae absolutam... sed introductiones tantam latinas scribere. Priores quia hominibus Carmini Alexandrino assuetis non multum placebant, secundam adiecimus in qua illa tantum versibus complexi sumus quae in promptu pueris habenda erant, quod videtur posse facilius carmen de se praestare.

(J) Pylades Buccardus Brixianus, in Epistola Nuncupatoria ad Annotationum libellum (Brixiae, 1500).

Quaesitum est ex me non semel, quid est, quod a me compositum et aeneis litteris impressum fuit Carmen Scholasticum... quum Alexandri Teutonici volumen extaret ...iamdudum ab universo mundo receptum atque in omnibus scholis perlectum... Respondi eiusdem me laborem suscepisse publicae utilitatis causa, cum plurima in Alexandri codice illo vulgatissimo et celeberrimo vidissem minus quam utiliter, minus quam Latine, minus quam recte praecepta ; et quae a pueris delibata, quum postea adolevissent, dediscere atque expuere oporteret.

(K) Iodocus Badius Ascensius studiosae iuventuti (Praefatio ad Alexandri Doctrinale, ed. Paris. 1522 : inter editiones XIX, 1500-1527).

Occurrent alii qui damnabant auctorem quod Alexandrum prae ceteris sectetur, cum Sulpitium, Perottum Aldum, aut Torrentinum in iuvenibus publice erudiendis consectari praestiterit. Istis respondebo : magistros consuetudo non nunquam sollicitat. Itaque ut pueros iamdiu Alexandro assuetos citius ad studium alliciat, nomen Alexandri usurpare voluit.

(L) Ioannes Despauterius in Praefatione in primam partem suae Grammaticae (obiit 1520) :

Post Linguae Latinae a Gothis aliisque Barbaris miserabiliter laniatae ac propemodum extinctae per neotericos instaurationem a Divino Numine praestitam, Alexandri *Doctrinale* visum est doctissimo cuique puerorum lectione

indignum, ut pote nimis tenebrosum, citra utilitatem praelongum, plerumque etiam barbarum, insufficiens, et falsum. Quocirca ut Alexander undique exularet, coeperunt plerique Grammaticam latiniorem verioremque scribere... Multa possem in hunc modum illius saeculi anilia referre, quo natus est Alexander Gallus, cuius opus *Doctrinale* inscribitur, circiter annum Domini MCC, quo tempore barbaries undique dominabatur usque ad tempora Francisci Petrarchae... Clamant indocti homines rem me indignam fecisse, quod repudiato Alexandri Galli *Doctrinale* voluerim senem illum, ut aiunt, de ponte deicere. Vociferantur me esse novitatis fatuae excogitatorem... Qui haec obducto in me supercilio clamitant, indoctissimi sunt.

APPENDIX II.

IOANNES SARESBERIENSIS (1110-1180)

Ioannis Saresberiensis Episcopi carnotensis ad Thomam Archiepiscopum cantuariensem Metalogicus.

96 (A) : Metalogicus : lib. II. c. x.
(B) : Metalogicus : lib. I. cc. 22, 23, 24.

96 (A) Studia sub Abelardo et apud Carnotenses.

Cum primum, adolescens admodum, studiorum causa migrassem in Gallias, anno altero postquam illustris rex Anglorum Henricus, leo justitiae, rebus excessit humanis, contuli me ad peripateticum palatinum, qui tunc in Monte Sanctae Genovefae clarus doctor, et admirabilis omnibus praesidebat. Ibi, ad pedes eius, prima artis huius rudimenta accepi, et pro modulo ingenioli mei, quidquid excidebat ab ore eius, tota mentis aviditate excipiebam. Deinde, post discessum eius, qui mihi praeproperus visus est, adhaesi magistro Alberico, qui inter caeteros opinatissimus dialecticus enitebat, et erat revera nominalis sectae acerrimus impugnator. Sic ferme toto biennio conversatus in Monte, artis huius praeceptoribus usus sum Alberico, et magistro Roberto Meludensi ; ut cognomine designetur, quod meruit in scholarum regimine (natione siquidem Angligena est) ; quorum alter ad omnia scrupulosus, locum quaestionis inveniebat ubique ; ut, quamvis polita planities, offendiculo non careret, et, ut aiunt, scirpus ei non esset enodis. Nam et ibi monstrabat quid oporteat enodari. Alter autem, in

responsione promptissimus, subterfugii causa propositum nunquam declinavit articulum, quin alteram contradictionis partem eligeret, aut determinata multiplicitate sermonis, doceret unam non esse responsionem. Ille ergo in quaestionibus subtilis, et multus ; iste in responsionibus perspicax, brevis et commodus. Quae duo, pariter eis, si alicui omnium contigissent, parem utique disputatorem nostra aetate non esset invenire. Ambo enim acuti erant ingenii et studii pervicacis ; et, ut reor, magni praeclarique viri in physicis studiis enituissent, si de magno litterarum niterentur fundamento, si tantum institissent vestigiis maiorum, quantum suis applaudebant inventis. Haec pro tempore, quo illis adhaesi. Nam postea unus eorum profectus Bononiam, dedidicit, quod docuerat : siquidem et reversus dedocuit. An melius, judicent qui eum ante et postea audierunt. Porro alter in divinis proficiens litteris, etiam eminentioris philosophiae, et celebrioris nominis assecutus est gloriam. Apud hos, toto exercitatus biennio, sic locis assignandis assuevi, et regulis, et aliis rudimentorum elementis, quibus pueriles animi imbuuntur, et in quibus praefati doctores potentissimi erant, et expeditissimi, ut haec omnia mihi viderer nosse tanquam ungues digitosque meos. Hoc enim plane didiceram, ut juvenili levitate pluris facerem scientiam meam, quam esset. Videbar mihi sciolus, eo quod in iis quae audieram, promptus eram.

Deinde reversus in me, et metiens vires meas, bona praeceptorum meorum gratia, consulto me ad grammaticum de Conchis transtuli, ipsumque triennio docentem audivi. Interim legi plura, nec me unquam poenitebit temporis eius. Postmodum vero Ricardum, cognomento episcopum, hominem fere nullius disciplinae expertem, et qui plus pectoris habet quam oris, plus scientiae quam facundiae, veritatis quam vanitatis, virtutis quam ostentationis, secutus sum, et quae ab aliis audieram, ab eo cuncta relegi, et inaudita quaedam, ad quadrivium pertinentia, in quo aliquatenus Teutonicum praeaudieram Hardewinum, didici. Relegi quoque rhetoricam, quam prius cum quibusdam

aliis a magistro Theodorico tenuiter auditam, paululum intelligebam. Sed eam postea a Petro Helia plenius accepi. Et quia nobilium liberos, qui mihi, amicorum et cognatorum auxiliis destituto, paupertati meae solatiante Deo, alimenta praestabant, instruendos susceperam, ex necessitate officii et instantia iuvenum urgebar quod audieram, ad memoriam crebrius revocare. Unde ad magistrum Adam, acutissimi virum ingenii, et quidquid alii sentiant, multarum litterarum, qui Aristoteli prae caeteris incumbebat, familiaritatem contraxi ulteriorem ; ut, licet eum doctorem non habuerim, mihi sua benigne communicaret, et se, quod aut nulli faciebat, aut paucis alienis, mihi patentius exponebat. Putabatur enim invidia laborare. Interim Willermum Suessionensem, qui ad expugnandam, ut aiunt sui, logicae vetustatem, et consequentias inopinabiles construendas, et antiquorum sententias diruendas, machinam postmodum fecit, prima logices docui elementa, et tandem iam dicto praeceptori apposui. Ibi forte didicit idem esse ex contradictione cum Aristoteles obloquatur, quia idem cum sit, et non sit, non necesse est idem esse. Et item cum aliquid sit, non necesse est idem esse, et non esse. Nihil enim ex contradictione evenit, et contradictionem impossibile est ex aliquo evenire. Unde nec amici machina impellente urgeri potui, ut credam ex uno impossibili omnia impossibilia provenire.

Extraxerunt me hinc rei familiaris angustia, sociorum petitio, et consilium amicorum, ut officium docentis aggrederer. Parui. Reversus itaque in fine triennii, reperi magistrum Gilbertum, ipsumque audivi in logicis et divinis ; sed nimis cito subtractus est. Successit Robertus Pullus, quem vita pariter et scientia commendabant. Deinde me excepit Simon Pexiacensis, fidus lector, sed obtusior disputator. Sed hos duos in solis theologicis habui praeceptores. Sic fere duodecennium mihi elapsum est, diversis studiis occupato. Iucundum itaque visum est, veteres quos reliqueram, et quos adhuc dialectica detinebat in Monte, revisere socios, conferre cum eis super ambiguitatibus pristinis ; ut

nostrum invicem, ex collatione mutua, commetiremur profectum. Inventi sunt qui fuerant, et ubi ; neque enim ad palmam visi sunt processisse ad quaestiones pristinas dirimendas, neque propositiunculam unam adjecerant. Quibus urgebantur, stimulis, eisdem et ipsi urgebantur, profecerant in uno duntaxat, dedicerant modum, modestiam nesciebant ; adeo quidem ut de reparatione eorum posset desperari. Expertus itaque sum quod liquido colligi potest, quia sicut dialectica alias expedit disciplinas, sic, si sola fuerit, iacet exsanguis et sterilis, nec ad fructum philosophiae fecundat animam, si aliunde non concipit.

(B) Bernardi Carnotensis mos docendi.

Ut pace Quintiliani loquar (qui sic hominis ingenium laudat, ut judicium culpet, dicitque eum dulcibus vitiis abundasse, et magis placuisse pueris quam eruditis, et summas rerum minutissimis sententiis frangere, unde libri eius ab uno imperatorum appellati sunt, arena sine calce), nullus inter gentiles ethicus invenitur, aut rarus, cujus verbis, aut sententiis, in omni negotio commodius uti possis. Ad omnia enim, suum aliquid confert. Sentit hic, quod disciplinae liberales virum bonum non faciunt. Ego ei consentio, et de aliis hoc ipsum arbitror. Deprimit artes, sed tamen a philosophia non reiicit ; neque enim soli philosophi boni viri sunt. Grammaticus, inquit, circa curam sermonis versatur ; et ut longius evagetur, circa historias ; ut longissime procedat, circa carmina. Hoc autem parum non est, sed plurimum prodest ad informationem virtutis, quae facit virum bonum. Gloriatur Horatius se, virtutis causa, relegisse Homerum :

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius et melius Chrysippo et Crantore dicit.

Poetas philosophorum cunas esse, celebre est. Disciplinas liberales tantae utilitatis esse tradit antiquitas, ut

quicunque eas plene norint, libros omnes, et quaecunque scripta sunt, possint intelligere, etiam sine doctore. Ut enim ait Quintilianus, non nocent hae disciplinae per illas euntibus, sed circa illas haerentibus.

At lectio, doctrina et meditatio scientiam pariunt. Unde constat quod grammatica, quae istorum fundamentum est et radix, quodammodo sementem iacit quasi in sulcis naturae, gratia tamen praeeunte ; quae, si ei cooperatrix quoque gratia adfuerit, in solidae virtutis robur coalescit et crescit multipliciter, ut boni operis fructum faciat, unde boni viri et nominantur, et sunt. Sola tamen gratia, quae et velle bonum et perficere operatur, virum bonum facit, et prae caeteris omnibus recte scribendi et recte loquendi, quibus datum est, facultatem impertitur, artesque ministrat varias, et cum se indigentibus benigne offert, contemni non debet. Si enim contemnitur, juste recedit, nec contemptori relinquitur conquestionis locus.

Qui ergo ad philosophiam aspirat, apprehendat lectionem, doctrinam et meditationem, cum exercitio boni operis, nequando irascatur Dominus, et quod videbatur habere, auferatur ab eo. Sed quia legendi verbum aequivocum est, tam ad docentis et discentis exercitium, quam ad occupationem per se scrutantis scripturas ; alterum, id est quod inter doctorem et discipulum communicatur, ut verbo utamur Quintiliani, dicatur praelectio, alterum quod ad scrutinium meditantis accedit, lectio simpliciter appelletur. Ergo ab auctoritate eiusdem Quintiliani, in praelegendo, grammaticus et illa quidem minora praestare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, et pedum proprietates, quae debent in carminibus notae esse. Deprehendat quae barbara, quae impropria, aut alias contra legem loquendi composita. Non tamen ut poetas improbet, quibus ob metri necessitatem adeo ignoscitur, ut vitia ipsa in carmine, virtutum nomine censeantur ; laudem enim virtutis plerumque occupat necessitatis improbitas, cui sine dispendio negari non potest assensus. Metaplasmum, schematismumque, et oratorios tropos, multiplicitatem

dictionum cum adfuerint, et diversas sic vel sic dicendi rationes, ostendat et crebris commonitionibus agat in memoriam auditorum. Auctores excutiat, et sine intuentium risu eos plumis spoliet, quas (ad modum corniculae) ex variis disciplinis, ut color aptior sit, suis operibus indiderunt. Quantum pluribus disciplinis et abundantius quisque imbutus fuerit, tanto elegantiam auctorum plenius intuebitur, planiusque docebit. Illi enim per *diacrisim*, quam nos *illustrationem* sive *picturationem* possumus appellare, cum rudem materiam historiae, aut argumenti, aut fabulae, aliamve quamlibet suscepissent, eam tanta disciplinarum copia et tanta compositionis et condimenti gratia excolebant, ut opus consummatum, omnium artium quodammodo videretur imago. Siquidem grammatica poeticaque se totas infundunt, et eius, quod exponitur, totam superficiem occupant. Huic, ut dici solet, *campologica,* probandi colores afferens, suas immittit rationes in fulgore auri : et rhetorica in locis persuasionum et nitore eloquii, candorem argenteum aemulatur. Mathematica quadrivii sui rotis vehitur, aliarumque vestigiis insistens, colores et venustates suas multiplici varietate contexit. Physica, exploratis naturae consiliis, de promptuario suo affert multiplicem colorum venustatem. Illa autem quae caeteris philosophiae partibus praeeminet, ethicam dico, sine qua nec philosophi subsistit nomen, collati decoris gratia omnes alias antecedit. Excute Virgilium aut Lucanum, et ibi, cujuscunque philosophiae professor sis, eiusdem invenies condituram. Ergo pro capacitate discentis, aut docentis industria et diligentia, constat fructus praelectionis auctorum.

Sequebatur hunc morem Bernardus Carnotensis, exundantissimus modernis temporibus fons litterarum in Gallia, et in auctorum lectione quid simplex esset, et ad imaginem regulae positum, ostendebat ; figuras grammaticae, colores rhetoricos, cavillationes sophismatum, et qua parte sui propositae lectionis articulus respiciebat ad alias disciplinas, proponebat in medio : ita tamen, ut non in singulis universa doceret, sed pro capacitate audientium, dispen-

saret eis in tempore doctrinae mensuram. Et quia splendor orationis aut *a proprietate* est, id est cum adiectivum aut verbum, substantio elegantur adiungitur, aut *a translatione*, id est ubi sermo ex causa probabili, ad alienam traducitur significationem, haec, sumpta occasione, inculcabat mentibus auditorum. Et quoniam memoria exercitio firmatur, ingeniumque acuitur, ad imitandum ea quae audiebant, alios admonitionibus, alios flagellis et poenis urgebat. Cogebantur exsolvere singuli die sequenti aliquid eorum, quae praecedenti audierant ; alii plus, alii minus : erat enim apud eos praecedentis discipulus sequens dies. Vespertinum exercitium, quod declinatio dicebatur, tanta copiositate grammaticae refertum erat, ut si quis in eo per annum integrum versaretur, rationem loquendi et scribendi, si non esset hebetior, haberet ad manum, et significationem sermonum, qui in communi usu versantur, ignorare non posset. Sed quia nec scholam, nec diem aliquem decet esse religionis expertem, ea proponebatur materia, quae fidem aedificaret, et mores, et unde qui convenerant, quasi collatione quadam, animarentur ad bonum. Novissimus autem huius declinationis, imo philosophicae collationis, articulus, pietatis vestigia praeferebat ; et animas defunctorum commendabat, devota oblatione psalmi, qui in Poenitentialibus sextus est, et in oratione Dominica, Redemptori suo.

Quibus autem indicebantur praeexercitamina puerorum, in prosis aut poematibus imitandis, poetas aut oratores proponebat, et eorum iubebat vestigia imitari, ostendens iuncturas dictionum et elegantes sermonum clausulas. Si quis autem ad splendorem sui operis, alienum pannum assuerat, deprehensum redarguebat furtum ; sed poenam saepissime non infligebat. Sic vero redargutum, si hoc tamen meruerat inepta positio, ad exprimendam auctorum imaginem, modesta indulgentia conscendere iubebat faciebatque, ut qui maiores imitabatur, fieret posteris imitandis. Id quoque inter prima rudimenta docebat, et infigebat animis, quae in oeconomia virtus, quae in decore rerum, quae in verbis laudanda sunt : ubi tenuitas et quasi macies ser-

monis, ubi copia probabilis, ubi excedens, ubi omnium modus. Historias, poemata, percurrenda monebat diligenter quidem, et qui velut nullis calcaribus urgebantur ad fugam : et ex singulis, aliquid reconditum in memoria, diurnum debitum, diligenti instantia exigebat. Superflua tamen fugienda dicebat ; et ea sufficere, quae a claris auctoribus scripta sunt ; siquidem « persequi quid quis unquam contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis iactantiae est, et detinet, atque obruit ingenia, melius aliis vacatura ; quod autem melius tollit, eo usque non prodest,. » quod nec boni censetur nomine ; omnes enim schedas excutere et volvere scripturas, etiam lectione indignas, non magis ad rem pertinet, quam anilibus fabulis operam dare.

Unde inter virtutes grammatici merito reputatum est ab antiquis, *aliqua ignorare*. Et quia in toto praeexercitamine erudiendorum, nihil utilius est quam ei, quod fieri ex arte oportet, assuescere, prosas et poemata quotidie scriptitabant, et se mutius exercebant collationibus, quo quidem exercitio, nihil utilius ad eloquentiam, nihil expeditius ad scientiam, et plurimum confert ad vitam, si tamen hanc sedulitatem regit charitas, si in profectu litterario servetur humilitas. Non « est enim eiusdem hominis, litteris et carnalibus vitiis inservire. » Ad huius magistri formam praeceptores mei in grammatica, Gulielmus de Conchis et Ricardus, cognomento Episcopus, officio nunc archidiaconus Constantiensis, vita et conversatione vir bonus, suos discipulos aliquandiu informaverunt. Sed postmodum, ex quo opinio veritati praeiudicium fecit, et homines videri, quam esse philosophi maluerunt, professoresque artium, se totam philosophiam brevius, quam triennio aut biennio, transfusuros auditoribus pollicebantur, impetu multitudinis imperitae victi, cesserunt. Exinde autem, minus temporis et diligentiae, in grammaticae studio impensum est. Ex quo contigit, ut qui omnes artes, tam liberales quam mechanicas, profitentur, nec primam noverint : sine qua, frustra quis progredietur ad reliquas.

APPENDIX III.

MICHAEL PSELLUS (1018-1078)

97 : Chronographia VI, 36-41.
98 (A) : *Ibid.*, CONSTANTINUS IX (1042-1055).
(B) : *Ibid.*, MICHAEL VII DUCAS (1071-1077).

97. De studiis suis liberalibus tractat Psellus.

ἐγὼ δὲ τηνικαῦτα εἴκοστον πέμπτον ἔτος ἄγων τῆς ἡλικίας τοῖς σπουδαιοτέροις προσανεῖχον μαθήμασι · περὶ δύο γὰρ ταῦτα ἐσπουδακὼς, ῥητορικοῖς μὲν λόγοις τὴν γλῶτταν πλάσασθαι πρὸς εὐπρέπειαν, καὶ φιλοσοφίᾳ καθάραι τὸν νοῦν, τοὺς μὲν ῥητορικοὺς λόγους οὐ πάλαι ἠκριβωκὼς, ὥστε καὶ διελεῖν δύνασθαι τὸ ἄρθρον τῆς ὑποθέσεως καὶ τοὺς πρώτους καὶ δευτέρους λόγους εἰς τοῦτο συνενεγκεῖν, καὶ μὴ πάντα τὴν τέχνην δεδιέναι, μηδ' ἔπεσθαι ταύτῃ ὥσπερ τι θρέμμα ἐν ἅπασιν, ἀλλὰ καὶ πλέον τι συνεισενεγκεῖν ἐν τοῖς μέρεσι, φιλοσοφίας εἰχόμην, καὶ τοῦ συλλογίζεσθαι ἱκανῶς ἔχων, ἢ ἄνωθεν καὶ ἀμέσως, ἢ ἐκ τῶν μετέπειτα καὶ παντοδαπῶς, τῶν τε φυσικῶν λόγων ἡψάμην καὶ πρὸς τὴν πρώτην φιλοσοφίαν διὰ τῆς μέσης ἀνεπτερούμην γνώσεως.

καὶ εἰ μὴ μέ τις φορτικὸν ἐντεῦθεν νομίζοι, ἀλλὰ συγχωρεῖ δὴ τῷ λόγῳ, καὶ τοῦτο δὴ τῶν ἐμῶν προσθήσω, ὃ δὴ καὶ μόνον μάλιστα εἰς εὐφημίαν τοὺς σπουδαιοτέρους κινήσει · καί μοι συμμαρτυρήσετε οἱ τήμερον τὸν λόγον ἀναγιγνώσκοντες, ὅτι ἐκπνεύσασαν τὴν σοφίαν καταλαβὼν ὅσον ἐπὶ τοῖς μετέχουσιν, αὐτὸς ἀνεζωπύρησα οἴκοθεν, οὔτε διδασκάλοις ἀξιολόγοις περιτυχὼν, οὔτε σπέρμα σοφίας ἐν τῇ Ἑλλάδι ἢ τῇ βαρβάρῳ τὸ ξύμπαν διερευνησάμενος εὑρηκώς · ἀλλ' ἐπειδὴ μέγα τι περὶ φιλοσοφίας ἐν τῇ Ἑλλάδι ἀκούων, ἐν φώναις τισὶν ἁπλαῖς καὶ

προτάσεσι κατεμάνθανον, καὶ ἦν ταῦτα ὡσανεὶ στῆλαι καὶ ὅρια, καταγνοὺς τῶν περὶ ταῦτα σμικρολογουμένων ἐξήτησά τι πλέον εὑρεῖν· ὡς δέ τισι τῶν ἐξηγησαμένων τὴν ἐπιστήμην ἐνέτυχον, τὴν ὁδὸν παρ᾽ αὐτῶν ἐδιδασκόμην τῆς γνώσεως, καί με ἄλλος εἰς ἄλλον παρέπεμπον, ὁ χείρων πρὸς τὸν κρείττονα, κἀκεῖνος αὖθις εἰς ἕτερον, καὶ οὗτος εἰς Ἀριστοτέλη καὶ Πλάτωνα, ὧν δὴ καὶ οἱ πρὸ ἐκείνων ἠγάπησαν εἰ εὐθὺς τὰ δευτέρεια μετ᾽ ἐκείνους εἰλήχασιν.

ἐντεῦθεν οὖν ὁρμηθεὶς αὖθις ὥσπερ περίοδον ἐκπληρῶν εἰς Πλωτίνους καὶ Πορφυρίους καὶ Ἰαμβλίχους κατῄειν, μεθ᾽ οὓς ὁδῷ προβαίνων εἰς τὸν θαυμασιώτατον Πρόκλον ὡς ἐπὶ λιμένα μέγιστον κατασχὼν, πᾶσαν ἐκεῖθεν ἐπιστήμην τε καὶ νοήσεων ἀκρίβειαν ἔσπεισα· μέλλων δὲ μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν πρώτην ἀναβαίνειν φιλοσοφίαν καὶ τὴν καθαρὰν ἐπιστήμην μυεῖσθαι, τὴν περὶ τῶν ἀσωμάτων θεωρίαν προὔλαβον ἐν τοῖς λεγομένοις μαθήμασιν, ἃ δὴ μέσην τινὰ τάξιν τετάχαται, τῆς τε περὶ τὰ σώματα φύσεως καὶ τῆς ἀσχέτου πρὸς ταῦτα νοήσεως, καὶ αὐτῶν δὴ τῶν φύσεων, αἷς ἡ καθαρὰ συμβαίνει νόησις, ἵν᾽ ἐντεῦθεν εἴ τι καὶ ὑπὲρ ταῦτα ὑπὲρ νοῦν ἢ ὑπερούσιον καταλήψομαι.

διὰ ταῦτα ἀριθμῶν τε μεθόδοις ἑαυτὸν ἐντείνας καὶ γεωμετρικὰς ἀποδείξεις ἀναλαμβάνων, ἅς ἀναγκάς τινες ὀνομάζουσιν, ἔτι τε μουσικοῖς καὶ ἀστρονομικοῖς ἐνδιδοὺς λόγοις καὶ εἴ τινες ἄλλαι μαθήσεις ταύταις ὑπόκεινται, οὐδὲ τούτων οὐδὲ μίαν ἀπολείπων, καὶ πρῶτα μὲν κατὰ μίαν ἑκάστην διεξιὼν, εἶθ᾽ ἁπάσας συνάψας, ὡς δι᾽ ἀλλήλων ἠκούσας εἰς ἕν, ὡς ἡ Ἐπινομὶς βούλεται, οὕτω διὰ τούτων τοῖς ὑψηλοτέροις ἐπέβαλλον.

ἐπεὶ δὲ τῶν τελεωτέρων ἠκηκόειν φιλοσόφων, ὅτι ἔστι τις καὶ ὑπὲρ τὴν ἀπόδειξιν σοφία, ἣν μόνος εἶδεν ὁ σωφρόνως ἐνθουσιάζων νοῦς, οὐδὲ ταύτην παρέδραμον, ἀλλά τισι βιβλίοις ἀρρήτοις ἐντετυχηκὼς, ὅποσον εἰκὸς καὶ ἡ φύσις μοι ἔρρωτο, καὶ ταῦτ᾽ εἰσεδεξάμην. τὸ γὰρ δι᾽ ἀκριβείας ταῦτα εἰδέναι, οὔτ᾽ ἂν αὐτὸς περὶ ἐμαυτοῦ σεμνολογήσαιμι, οὔτ᾽ ἄλλῳ πιστεύσαιμι λέγοντι, τὸ δὲ μίαν τῶν πασῶν ἐπιστήμην ὥσπερ ἑστίαν φίλην ἑαυτῷ πεποιηκότα τινὰ, ἐντεῦθεν οἱονεὶ καθ᾽ ἱστορίαν ἐξιόντα καὶ τῶν ἄλλων ἐν περινοίᾳ γίγνεσθαι, καὶ αὖθις ἐπαναστρέφειν ἀφ᾽ ἧς κεκίνηται, τοῦτο δὴ οὐ πάνυ τι τὴν φύσιν ἡμῶν ὑπεράλλεται.

ἑωρακὼς δὲ ὅτι δύο μερίδες τῶν λόγων εἰσὶ, καὶ τὴν μὲν ἡ ῥητορικὴ συμπληροῖ, τὴν δὲ φιλοσοφία ἀπέτεμε, καὶ ἡ μὲν οὐδέν

τι τῶν σεμνοτέρων εἰδυῖα καχλάζει μόνον τῷ μεγάλῳ τῶν λέξεων ῥεύματι, καὶ περὶ τὴν συνθήκην τῶν τοῦ λόγου μορίων στρέφεται, καί τινας λόγους ἀναπτύξεων τῶν πολιτικῶν ὑποθέσεων καὶ διαιρέσεων προβέβληται, καὶ κοσμεῖ τὴν γλῶτταν, καὶ ὅλως διαπρεπής ἐστιν ἐν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις, ἡ δὲ φιλοσοφία τοῦ περιπτυσσομένου τὸν λόγον κάλλους ἧττον φροντίζουσα, τάς τε φύσεις ἀνιχνεύει τῶν ὄντων καὶ τὰς ἀρρήτους θεωρίας παρίστησι, καὶ οὐδὲ μέχρις οὐρανοῦ ὑψηλολογουμένη προβαίνει, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἐκεῖθεν κόσμος, καὶ τοῦτον ἐξυμνεῖ ποικιλώτερον, οὐκ ᾠήθην δεῖν, ὥσπερ δὴ οἱ πλεῖστοι πεποιήκασιν ἢ πεπόνθασιν, ἢ τὴν τέχνην ξυνειλοχότα τῆς ἐπιστήμης καταμελεῖν, ἢ ταύτην διαμελετῶντα καὶ ἐν θαυμασίοις πλουτοῦντα νοήμασι τῆς τῶν λέξεων κατολιγωρεῖν ἄνθης καὶ τῆς κατὰ τέχνην διαιρέσεως τε καὶ τάξεως · διὰ ταῦτα, καὶ ὅπερ ἤδη μοι πολλοὶ προσωνείδισαν, καὶ ῥητορικὴν ὑπόθεσιν μελετῶν, ἔστιν οὗ καὶ ἀπόδειξίν τινα ἐπιστήμονα οὐκ ἀκόμψως εἰσάγω, καὶ αὖθις φιλόσοφόν τι ἀποδεικνύων θέλημα, καθωραΐζω τοῦτο ταῖς τεχνικαῖς χάρισιν, ἵνα μὴ πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ νοήματος ἡ τοῦ ἀναγινώσκοντος ψυχὴ δυσπαραδεκτήσασα τοῦ φιλοσοφουμένου λόγου στερίσκοιτο.

98 (A). Constantini Imperatoris indoles litteraria.

τῶν Ῥωμαϊκῶν σκηπτρῶν οὗτος ἐπειλημμένος ὁ αὐτοκράτωρ, ὡς ἐκ μακροῦ τοῦ πελάγους εἰς τοὺς βασιλείους λιμένας κατάρας, ἀναπνευστέα τε αὐτῷ ἐδόκει, καὶ ἐφ᾽ ἑτέρῳ προσώπῳ τοῦ κράτους ποιεῖται διοίκησιν · γενναῖος ἦν οὗτος ὁ ἀνὴρ καὶ τὰ πρῶτα τῆς λογιότητος, τήν τε γλῶτταν εἶχε πρὸς πᾶσαν λόγων ἰσχὺν ἐμπαράσκευόν τε καὶ ἕτοιμον, καὶ τὰς πολιτικὰς πράξεις ἠκρίβωτο · τῇ γὰρ ῥητορικῇ τέχνῃ ἦν ἐκεῖνος ἐπὶ μᾶλλον ἐξώγκωσε, πιθανωτέραν ἀπεργασάμενος, τοὺς πολιτικοὺς νόμους καταμιγνὺς, τὸ ἄρθρον ἀκριβέσι συνδέσμοις κατέσφιγγεν, ὅπερ ἐστὶ τὸν προκείμενον νόμον ἐργασίαις τεχνικωτέραις ἐποίκιλλεν, εἶτα δὴ καὶ πρακτικώτατον ἄνωθεν εἰληχὼς νοῦν, τὰς δημοσίας πράξεις ἠκρίβωσε λογικώτατα τε καὶ εὐφυέστατα · πᾶσαν δὲ ἀγαπήσας καλλιέπειαν λόγου μεθηρμόσθη πρὸς τὸ πραγματικὸν εἶδος τῶν ὑποθέσεων,

καὶ ἦν αὐτῷ ἡ γραφὴ πρὸς μὲν τοὺς ῥητορικοὺς τῶν λόγων καλλιεπὴς καὶ τὴν ἀτθίδα φώνην ἀκριβοῦσα, πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς πράξεις ἁπλῆ τις καὶ συνήθης καὶ καθαρά.

98 (B). Quibus artibus humanioribus se dedit Michael.

ἀλλ᾽ ἔροιτό τις, τίνα τῷ βασιλεῖ παιδικὰ καὶ οἷς ἂν αγλαΐζοιτο; βιβλία σοφίας παντοδαπῆς, λόγων χαρακτῆρες σόφων, ἀποφθέγματα λακωνικά, γνωμολογίαι, καλλιρρημοσύνη συνθήκης, ὁ ποικίλος τῶν λόγων σχηματισμός, ἡ τῶν ἰδεῶν ἐξαλλαγή, ἡ καινολογία, ἡ ποιητικὴ τοῦ λόγου κατασκευή, πρὸ δὲ τούτων ἁπάντων ὁ πρὸς φιλοσοφίαν ἔρως, τὸ τῆς ἀναγωγῆς ὕψος, ἡ τῆς ἀλληγορίας μεταβολή· οὐ γὰρ οἶδα εἴ τις βαθυγνώμων ἕτερος ἐγεγόνει τῶν βασιλέων, ἢ πρὸς ἕκαστον τῶν ζητουμένων εὐθυβολώτατος. εἰπεῖν δὲ δεῖ διελόντα, ὡς τὰ μὲν βασιλέως ἔργα καὶ λόγοι, τὰ δὲ φιλοσόφῳ προσήκοντα, τὰ δὲ ῥήτορι, τὰ δὲ ἐς μουσικοὺς πίπτει, καὶ περὶ (μὲν) τὴν σφαῖραν οἱ ἀστρολογοῦντες, περὶ δὲ τὰς τῶν σχημάτων ἀποδείξεις οἱ γεωμετροῦντες, καὶ συλλογισμοὶ μὲν φιλοσόφοις ἀνεῖται, φυσικοῖς δὲ τὰ ἀπόρρητα ἔργα τῆς φύσεως, καὶ ἄλλο τὶ ἄλλῳ τῳ, καὶ περὶ ἄλλῳ ἕτερος, καὶ διῄρηνταί γε τοῖς ἀνδράσι τὰ ὑποκείμενα· τῷ δὲ συνείλεκται ἅπαντα· καὶ γὰρ φιλοσόφοις συνετάξατο, καὶ μετὰ ῥητόρων εἶπέν τι περὶ ζεύγματος καὶ ἐμφάσεως, καὶ μετὰ ὀπτικῶν περὶ ἀποστάσεως ἀκτίνων καὶ διαστάσεως, ἀλληγορεῖν δὲ δεῆσαν πολλάκις τὸν συγγραφέα ὑπερεβάλλετο, ὃν δὴ καὶ καθηγητὴν πρὸ πάντων εἵλετο καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἐδημοσίευε τοὔνομα. ἰάμβων δὲ μὴ προσχὼν μέτροις σχεδιάζει τούτους, εἰ καὶ μὴ ἐπιτυγχάνων τὰ πολλὰ τοῦ ῥυθμοῦ, ἀλλ᾽ ὑγιαίνουσαν τὴν ἔννοιαν ἐκδιδούς. καὶ ἵνα συνελὼν εἴπω, χρῆμά τι γέγονε τῷ καθ᾽ ἡμᾶς βίῳ ποικίλον καὶ πολυέραστον.

ANNA COMNENA (1083-1148)

99 : Alexias, init., XV. 7. (Alexius I, 1081-1118).
100 : Alexias, V. 8, q. (Ioannes Italus).

99. Eruditio liberalis Annae et patris eius Alexii.

Ἐγὼ Ἄννα, θυγάτηρ μὲν τῶν βασιλέων Ἀλεξίου καὶ Εἰρήνης, πορφύρας τιθήνημά τε καὶ γέννημα, οὐ γραμμάτων οὐκ ἄμοιρος, ἀλλὰ καὶ τὸ ἑλληνίζειν ἐς ἄκρον ἐσπουδακυῖα, καὶ ῥητορικῆς οὐκ ἀμελητήτως ἔχουσα καὶ τὰς Ἀριστοτελικὰς τεχνὰς εὖ ἀναλεξαμένη καὶ τοὺς Πλάτωνος διαλόγους, καὶ τὸν νοῦν ἀπὸ τῆς τετρακτύος τῶν μαθημάτων πυκάσασα (δεῖ γὰρ ἐξορχεῖσθαι ταῦτα, καὶ οὐ περιαυτολογία τὸ πρᾶγμα, ὅσα ἡ φύσις καὶ ἡ περὶ τὰς ἐπιστήμας σπουδὴ δέδωκε, καὶ ὁ θεὸς ἄνωθεν ἐπεβράβευσε, καὶ ὁ καιρὸς συνεισήνεγκε,) βούλομαι διὰ τῆσδέ μου τῆς γραφῆς τὰς πράξεις ἀφηγήσασθαι τοὐμοῦ πατρός, οὐκ ἀξίας σιγῇ παραδοθῆναι.

Ὁ μὲν οὖν Ἀλέξανδρος ἐκεῖνος ὁ Μακεδὼν ἀρχείτω μὲν ἐπὶ τῇ κατ' Αἴγυπτον Ἀλεξανδρείᾳ, ἐπὶ τῇ κατὰ Μήδους Βουκεφάλῃ, ἐπὶ τῇ κατ' Αἰθιοπίαν Λυσιμαχίᾳ. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ Ἀλέξιος οὐκ ἂν οὕτωσὶ ἐπὶ ταῖς ἀνεργεθείσαις παρ' αὐτοῦ πόλεσιν ἐναβρύντοιτο, ἃς πανταχοῦ ἴσμεν ἀνοικοδομοθείσας αὐτῷ, ὅσον ἐπὶ ταύτῃ τῇ πόλει μεγαλαυχεῖ. ἀλλὰ ταῦτα μὲν τὰ τεμένη καὶ ἱερὰ φροντιστήρια εἰσιόντι σοι κατὰ λαιὰν ἀπαντήσειε· κατὰ δὲ τὴν δεξιὰν τοῦ μεγάλου τεμένους παιδευτήριον ἕστηκε τῶν γραμματικῶν παισὶν ὀρφανοῖς ἐκ παντοδαποῦ γένους συνειλεγμένοις, ἐν ᾧ παιδευτής τις προκάθηται καὶ πᾶιδες περὶ αὐτὸν ἑστᾶσιν, οἱ μὲν περὶ ἐρωτήσεις ἐπτοημένοι γραμματικάς, οἱ δὲ ξυγγραφεῖς τῶν λεγομένων σχεδῶν. καὶ ἔστιν ἰδεῖν καὶ Λατῖνον ἐνταῦθα παιδοτριβούμενον καί Σκύθην ἑλληνίζοντα καὶ Ρωμαῖον τὰ τῶν Ἑλλήνων συγγράμματα μεταχειριξόμενον καὶ τὸν ἀγράμματον Ἕλληνα ὀρθῶς ἑλληνίζοντα. τοιαῦτα καὶ περὶ τὴν λογικὴν παίδευσιν τὰ τοῦ Ἀλεξίου σπουδάσματα. τοῦ δὲ σχέδους ἡ τέχνη εὕρημα τῶν νεωτέρων ἐστὶ καὶ τῆς ἐφ' ἡμῶν γενεᾶς. παρίημι δὲ Στυλιανούς

τινας καὶ τοὺς λεγομένους Λογγιβάρδους καὶ ὅσους ἐπὶ συναγωγὴν ἐτεχνάσαντο παντοδαπῶν ὀνομάτων καὶ τοὺς Ἀττικοὺς καὶ (τοὺς) γεγονότας τοῦ ἱεροῦ καταλόγου τῆς μεγάλης παρ' ἡμῖν ἐκκλησίας ὧν παρίημι τὰ ὀνόματα. ἀλλὰ νῦν οὐδ' ἐν δευτέρῳ λόγῳ τὰ περὶ τούτων τῶν μετεώρων καὶ ποιητῶν καὶ αὐτῶν συγγραφέων καὶ τῆς ἀπὸ τούτων ἐμπειρίας · πεττεία δὲ τὸ σπούδασμα καὶ ἀλλὰ τὰ ἔργα ἀθέμιτα. ταῦτα δὲ λέγω ἀχθομένη διὰ τὴν παντελῆ τῆς ἐγκυκλίου παιδεύσεως ἀμέλειαν. τοῦτο γάρ μου τὴν ψυχὴν ἀναφλέγει, ὅτι πολὺ περὶ ταὐτὰ ἐνδιατέτριφα. κἂν, ἐπειδὰν ἀνήλλαγμαι τῆς παιδαριώδους τούτων σχολῆς καὶ εἰς ῥητορικὴν παρήγγειλα καὶ φιλοσοφίας ἡψάμην καὶ μεταξὺ τῶν ἐπιστημῶν πρὸς ποιητάς τε καὶ ξυγγραφέας ἤϊξα καὶ τῆς γλώττης τοὺς ὄχθους ἐκεῖθεν ἐξωμαλισάμην, εἶτα ῥητορικῆς ἐπαρηγούσης ἐμοὶ κατέγνων τῆς (τοῦ) πολυπλόκου τῆς σχεδογραφίας πλοκῆς.

100. Ioannes Italus variis disciplinis eruditus.

οὗτος ὁ Ἰταλός, οὐκ οἶδ' ὅπως, τὴν Κωνσταντινούπολιν κατέλαβεν, ἀπᾶσης παιδείας καὶ τέχνης λογικῆς οὐκ ἐνδεῶς ἔχουσαν. καὶ γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτοκρατορίας Βασιλείου τοῦ πορφυρογεννήτου μέχρι αὐτῆς τῆς τοῦ Μονομάχου Βασιλείας ὁ λόγος, εἰ καὶ τοῖς πλείοσιν ἐρρᾳθύμητο, ἀλλ' οὖν γε πάλιν οὐ καταδεδυκώς, ἀνέλαμψε καὶ ἀνεθορε καὶ διὰ σπουδῆς τοῖς φιλολόγοις ἐγένετο ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀλεξίου τοῦ αὐτοκράτορος. τὰ πρὸ τούτων χλιδώντων πλειόνων καὶ παιζόντων ἀνθρώπων καὶ ὀρτυγίαις καὶ ἄλλοις αἰσχίοσι παιγνίοις ἐνασχολουμένων διὰ τὴν χλιδήν, λόγον δὲ καὶ παίδευσιν ἅπασαν τεχνικὴν ἐν παρέργῳ τιθεμένων. οὕτως οὖν τοὺς ἐνταῦθα ἔχοντας ὁ Ἰταλὸς εὑρηκώς, καὶ ἄνδρασιν ὁμιλήσας σχολαστικοῖς καὶ ἀμειλίκτοις καὶ τὸ ἦθος ἀγρίοις (ἦσαν γὰρ τότε καί τινες περὶ τὴν βασιλεύουσαν τοιοῦτοι,) παιδείας τοίνυν λογικῆς ἐξ ἐκείνων μετασχών, καὶ Μιχαὴλ ἐκείνῳ τῷ Ψελλῷ ἐν ὑστέρῳ προσωμίλησεν, ὃς οὐ πάνυ τοι παρὰ διδασκάλοις σόφοις ἐφοίτησε, διὰ φύσεως δὲ δεξιότητα καὶ νοὸς ὀξύτητα... εἰς ἄκρον σοφίας ἁπάσης ἐληλακὼς καὶ τὰ Ἑλλήνων καὶ τὰ χαλδαίων ἀκριβωσάμενος, γέγονε τοῖς τοτε χρόνοις περιβόητος ἐν σοφίᾳ. τούτῳ γοῦν ὁ Ἰταλὸς προσομιλήσας ἐν ἀπαιδεύτῳ ἤθει καὶ βαρβαρικῷ οὐκ ἠδύνατο φιλοσοφίας εἰς βάθος ἐλθεῖν, διδασκάλων

ὅλως μηδ᾽ ἐν τῷ μανθάνειν ἀνεχόμενος, θράσους ὢν μεστὸς καὶ ἀπονοίας βαρβαρικῆς, πάντων τε καθυπερτερεῖν καὶ πρὸ τοῦ μαθεῖν οἰόμενος, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν Ψελλὸν ἐκ πρώτης ἀφετηρίας ἀντετάξατο. ἐμβαθύνας δὲ τῇ διαλεκτικῇ, μεθημερίνους θορύβους ἐν πανδήμοις συνελεύσεσιν ἐποιεῖτο, σοφιστικὰς συνείρων ἐρεσχελίας, καὶ πᾶν εἴ τι τοιοῦτον προτιθείς, καὶ αὖθις ὑπέχων λόγον τοιουτότροπον. τοῦτον προσηταιρίσατο καὶ ὁ τηνικαῦτα βασιλεύων Μιχαὴλ ὁ Δούκας καὶ οἱ τούτου ἀδελφοί· καὶ δευτέρου μὲν λόγου τοῦτον πρὸς τὸν Ψελλὸν ἐτίθεντο, ὅμως δὲ περιείχοντό τε αὐτοῦ καὶ ἐν λογικαῖς συνεχρῶντο ἀμιλλαῖς· ἦσαν γὰρ φιλολογώτατοι οἱ Δοῦκαι, καὶ ὁ τοῦ αὐτοκράτορος ἀδελφοὶ καὶ αὐτὸς δὴ ὁ βασιλεὺς Μιχαήλ.

ἔνθα καὶ τοῦ Ψελλοῦ μεταχωρήσαντος Βυζαντόθεν... αὐτὸς φιλοσοφίας ἁπάσης προέστη διδάσκαλος, ὕπατος τῶν φιλοσόφων χρηματίσας, καὶ τάς τε Ἀριστοτελικὰς βίβλους καὶ τὰς Πλατωνικὰς ἐξηγεῖσθαι ἐσπούδαζεν. καὶ ἦν μὲν τῷ δόξαι πολυμαθέστατος, δεινὸς δὲ μᾶλλον εἴπερ τις ἄλλος διερευνήσασθαι τῶν ἄλλων τὴν δεινοτάτην περιπατητικὴν, καὶ ταύτης πλέον τὴν διαλεκτικήν. πρὸς δὲ τὰς ἄλλας τέχνας τῶν λόγων οὐ πάνυ τι εὐφυῶς εἶχεν, ἀλλὰ καὶ περί τε τὴν γραμματικὴν ἐχώλευε τέχνην καὶ τοῦ ῥητορικοῦ νέκταρος οὐκ ἐγεύσατο· οὐδὲ ἐκεῖθεν ὁ λόγος τούτῳ ἐφήρμοστο καὶ εἰς κάλλος ἀπέξεστο... διαλεκτικῶν δὲ ἐφόδων ἐμεμέστωτο τούτῳ τὸ σύγγραμμα, καὶ ἡ γλῶττα τῶν ἐπιχειρημάτων ἐπεφόρητο τῷ διαλεγομένῳ ἐν ταῖς ὁμιλίαις μᾶλλον ἢ ταῖς γραφαῖς. οὕτως εἶχεν ἰσχυρῶς πρὸς τὰς διαλέξεις καὶ τοσοῦτον ἄφυκτος ἦν, ὡς τὸν ἀποκρινόμενον αὐτομάτως συναχθῆναι πρὸς τὴν σιγὴν καὶ εἰς ἀμηχανίαν ἐλθεῖν. ἑκατέρωθεν γὰρ τῆς ἐρωτήσεως βόθρον ὤρυττε, καὶ εἰς φρέαρ ἀποριῶν ἐνέβαλλε τὸν προσδιαλεγόμενον. οὕτως ἐμπείρως ἔχων τῆς διαλεκτικῆς ὁ ἀνὴρ, καὶ ταῖς ἐπαλλήλαις ἐπερωτήσεσι κατέπνιγε τοὺς διαλεγομένους, συγχέων αὐτῶν καὶ συνταράττων τὸν νοῦν· καὶ οὐκ ἦν τὸν ἅπαξ αὐτῷ συγτυχόντα τοὺς λαβυρίνθους τούτους διελθεῖν. ἀμουσότατος δὲ ἄλλως ἦν, καὶ θυμὸς αὐτοῦ κατεκράτει· καὶ ἦν τινά που προσεκτήσατο ἀρετὴν ἀπὸ τοῦ λόγου, κατέλυε καὶ ἠφάνιζεν ὁ θυμός... τὴν δὲ φώνην τοιοῦτος, οἷος ἂν ἀπὸ τῶν Λατίνων ἐληλυθὼς νεανίας εἰς τὴν ἡμεδαπὴν γῆν, τὰ Ἑλλήνων μὲν ἐκμάθοι, οὐ πάνυ δὲ καθαριεύοιτο τὴν φώνην· ἀλλ᾽ ἔστιν οὗ καὶ κολοβώτερα ἐκφέρειν τὰς συλλαβάς. ἀλλ᾽ οὔτε τὸ τοῦ

στόματος οὐκ εὐαγές, οὔτε τὸ εἰς ἄκρον ἄφωνον ἐλάνθανε τοὺς πολλούς, τοῖς δὲ ῥητορικωτέροις ἀγροικίζων κατελαμβάνετο. ἔνθεν τοι καὶ τὰ συγγράμματα τούτου συνέσφιγκτο μὲν ἁπανταχόθεν τοῖς διαλεκτικοῖς τόποις, ἀσυνταξίας δὲ κακίαν καὶ σολοικισμὸν σποράδην διερριμμένον παντάπασιν οὐκ ἐξέφευγεν.

οὗτος τοίνον προκαθήμενος φιλοσοφίας ἁπάσης, καὶ συρρεούσης εἰς αὐτὸν τῆς νεότητος (καὶ γὰρ τά τε Πρόκλου καὶ Πλάτωνος καὶ τὰ φιλοσόφων ἀμφοῖν Πορφυρίου τε καὶ Ἰαμβλίχου ἀνεκάλυπτε τούτοις δόγματα, καὶ μάλιστα τὰς Ἀριστοτέλους τέχνας καὶ τὴν ὡς ὀργάνου παρεχομένην χρείαν ὑφηγεῖτο τοῖς ἐθέλουσι πραγματείαν, καὶ ταύτῃ μᾶλλον ἐνηβρύνετο καὶ ἐνησχόλητο) οὐ πάνυ τι τοὺς μανθάνοντας ὠφελῆσαι ἐνίσχυσε, τὸν θυμὸν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ ἤθους ἀκαταστασίαν κωλυμὴν ἔχων... ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἦσαν πρὸ τοῦ ἀναχθῆναι τὸν ἐμὸν πατέρα εἰς τὴν νῆς βασιλείας περιωπήν· ἐπεὶ δὲ τὰ ὠδὶ παιδείας εὗρεν ἁπάσης ἐνδεῶς ἔχοντα καὶ τέχνης λογικῆς, τοῦ λόγου πόρρω ἀπελαθέντος, αὐτός, εἴ που σπινθῆρές τινες ἦσαν τούτου ὑπὸ σποδιᾷ κρυπτόμενοι, ἀναχωννύειν ἠπείγετο, καὶ τοὺς ὅσοι περὶ τὰ μαθήματα ἐπιρρεπῶς εἶχον (ἦσαν γὰρ τινες καὶ οὗτοι βραχεῖς καὶ μέχρι τῶν Ἀριστοτελικῶν ἑστηκότες προθύρων) τούτους πρὸς μάθησιν ὀτρύνων οὐκ ἐνεδίδου, προηγεῖσθαι δὲ τὴν τῶν θείων βίβλων μελετὴν τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας ἐπέτρεπε.

INDEX I : LOCORUM

Alpes, 14, 54, 72, 158.
Antverpia, 29, 182.
Arqua, 194.
Aurelia, 88.

Belgae, 14, 187, 188.
Bergamum, 192.
Bononia, 36, 42, 125, 193, 218.
Britannia, 42.
Byzantium, 230.

Carpentoracte, 16, 121.
Complutum, 37.
Conimbrica, 4, 37.
Constantia, 192.

Etruria, 146.

Francia, 22, 26, 41, 60, 61, 64, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 77, 79, 83. *Vid.* Gallia.
Ferraria, 31, 173, 193.
Flandria, 155.
Florentia, 12, 13, 14, 32, 43, 112, 146, 147, 148, 169, 191, 193.

Gallia, 14, 35, 36, 37, 38, 44, 78, 142, 155, 178, 179. *Vid.* Francia.
Germania, 179, 184, 185.
Goioda, 196.
Gothi, 4, 88, 89, 183, 203, 204, 215.

Hispania, 45, 89.
Hunni, 183.

Italia, 18, 20, 21, 36, 40, 41, 42, 68, 89, 124, 141, 142, 147, 148, 149, 150, 154, 157, 159, 160, 178, 182, 200.

Langobardi, 88, 190, 230.
Lauda, 192.
Lovanium, 187, 188.
Lusitania, 37.

Mantua, 2, 192, 193, 194, 196, 197.
Mons Pessulanus, 88.
Mediolanum, 28, 170, 174, 175, 192, 193.

Narbonensis, 122.
Navarra, 53.
Neapolis, 193.

Ostrogothi, 190.

Parisii (Lutetia), 36, 37, 38, 44, 88, 178, 179, 183, 217, 219.
Patavium, 2, 33, 34, 141, 142.
Perusia, 36.
Pessulanus Mons, 88.
Pisae, 36.

Quirinalis Collis, 117, 181, 182.

Ravenna, 190, 191.
Roma, 39, 40, 51, 88, 120, 121, 148, 181, 182.

Salamanca, 37.
Senae, 193.
Sicilia, 140.
Sorbona, 53.

Ticinum, 36, 176.
Transalpini, 5, 93.

Umbria, 124.
Urbinum, 39, 123, 169.

Valentia, 37.
Vandali, 88, 183, 203, 204.
Venetiae, 2, 29, 39, 142, 191, 192, 193, 194.
Vercellae, 191.
Verona, 193, 195, 197.

INDEX II : NOMINUM

Accursius, 203.
Adrianus VI, P. M., 88.
Albericus, 113, 217.
Albertus et Isabella, 187, 188.
Albertus Saxo, 101.
Alciatus, 112, 139, 173.
Alexander Gallus, 4, 100, 173, 212-216.
Alexius I, Caesar, 229, 230.
Amadisus, 105.
Amasaeus, 141.
Ambrosius, S. 101, 191.
Anna Comnena, 46, 228-232.
Antonius Illuminatus, 213.
Antonius Nebrissensis, 45, 98, 112, 214, 215.
Aretinus, Leonardus, 32, 107, 190, 191.
Argyropylus, 93.
Aristoteles, 10, 11, 12, 20, 21, 36, 44, 91-93, 226, 229, 231, 232.
Athanasius, 6.
Augustinus, S, 6, 101, 191, 211.
Aurispa, 29.

Badius Ascensius, Iudocus, 214-216.
Baduellus, Claudius, 6, 7, 16, 18, 23, 27, 29, 30.
Baldus, 113.
Barbarus, Hermolaus, 11, 19, 41, 93, 107.
Bartolus, 90, 113, 173.
Bataleus, Aruns, 171.
Basilius, S, 6, 156.
Bateus, Gulielmus, 14, 15.
Bembus, Petrus, 19, 20, 27, 32, 39, 117, 124, 140, 141, 153, 165, 167, 168, 169, 210, 211.
Beda, S, 191.
Bencius, 18, 19, 40.
Bernardus Carnotensis, 222.
Bernardus, S, 44, 191.
Beroaldus, 19, 36, 43, 117, 125.
Blondus Flavius, 39, 40, 189-193.
Bocchaccius, 32.
Bodinus, 38, 39.
Boethius, 101.
Bonamicus, Lazarus, 118, 141, 185.
Budaeus, 25, 26, 27, 31, 49-84, 108, 109, 112, 139.
Bunellus, 6.
Buccardus, 215.

Canisius, S. Petrus, 5.
Capella, 117.
Cardanus, 171.
Carolus V, Caesar, 172.
Carolus VIII, Rex, 40, 41, 66, 68.
Carolus IX, Rex, 178.
Carteromachus, 118.
Casa, 19, 167-169.
Casanova, 117
Castelliunculus, Lapus, 17, 30.
Castiliones, 1, 19, 40, 117, 124, 161.
Chrysostomus, S, 6, 156, 196.
Chrysoloras, 106, 191, 193.
Cicero, 5, 9, 10, 19, 20, 44, 131, 144, 145, 165, 171, 176, 177, 184, 185, 186, 191, 192, 193, 202, 203, 206, 207, 210, 211.
Cimabue, 43.
Citrarius, 124.
Clemangius, 44.
Clichtoveus, Iudocus, 35.
Colotius, Angelus, 118.
Colucius Salutatus, 33.
Comminius, Philippus, 104.
Commirius, 22, 23.
Constantinus IX, Caesar, 227, 228.
Corradus, Q. Marius, 6, 19, 21, 22, 157-162.
Corradus, Sebastianus, 19,
Cortesius, Paulus, 8, 109, 111.
Corycius, 118.
Crinitus, 19, 40, 41, 42.
Cusanus, Nicolaus, 99.
Cyprianus, S, 6.

Dantes Alighierius, 32, 33.
Despauterius, 215.

Dionysius Areopagita, 6.

Elisabe III, Regina, 45.
Elizabetha Gonzagia, 124, 169.
Erasmus, 4, 18, 20, 42, 111.

Faber Stapulensis, 4, 11, 12.
Facius, 43.
Faernus, 19.
Fannianus, 171.
Fernandus, Rex, 45.
Fichetus, Guillermus, 13, 17, 35, 36.
Filelfus, 7, 19, 24, 29, 30, 107, 193.
Flaminius, Ioannes, 41, 42.
Flaminius, Marcus, 19, 161.
Florisandus, 105.
Folieta, Ubertus, 153-156.
Fracastorius, 19, 161.
Franciscus I, Rex, 38, 39, 51, 60, 61, 179.
Fregosius, Fredericus, 39, 124.
Fregosius, Octavianus, 124.
Frosardus, 104.
Furnius, 118.

Gasparinus, 192.
Gilbertus, 219.
Gonzaga, Caesar, 124,
Gonzaga, Elizabetha, 124, 169.
Gregoras, 46.
Gregorius, S, 6, 191.
Gregorius Nazianzenus, S, 156.
Guarinus, 29, 191, 212.
Guido a Rupe Forti, 67.
Guidus Ubaldus, 39, 168, 169.
Gulielmus de Conchis, 224.
Gyraldus, Lilius, 19.

Hardewinus, 218.
Henricus I, Rex, 217.
Henricus II, Rex, 179.
Henricus e Septimello, 42.
Hieronymus Ferrariensis, 205.
Hieronymus, S, 6, 101, 156, 191.
Hilarius, S, 6, 101.
Hippolytus Estensis, 181.
Hugo Cluniacensis, 44.
Hugo a S. Victore, 33, 44, 99.
Hugutio, 100.

Iamblichus, 226.
Iason, 113, 173.
Ignatius, 46.
Ioannes Carolus, 1.
Ioannes Dominicus, 5.
Ioannes de Garlandia, 100.
Ioannes Glycas, 46.
Ioannes Italus, 230, 231, 232.
Ioannes Philoponus, 98.
Ioannes Ravennas, 190, 191, 193.
Ioannes Saresberiensis, 217-224.
Isocrates, 36.
Iulius II, P. M., 41, 42, 88.
Iustinianus Caesar, 184.
Ivo Carnotensis, 44.

Lambinus, 178-180.
Lampridius, 12, 19, 142.
Lancilotus, 105.
Landinus, 32.
Ledesma, 1, 16.
Leo, S, P. M., 6.
Leo X, P. M., 13, 40, 88, 140.
Leonicenus, 14, 90.
Linacer, 90.
Lipsius, Iustus, 9, 14, 23, 24, 25, 38, 181-188.
Longolius, 8, 111, 141, 163-166.
Ludovicus XII, Rex, 66.
Luisinus, 19.

Madius, 19.
Maffaeus, Marius, 118.
Maioragius, 19, 170-177.
Mancinellus, 213, 214.
Manutius, Paulus, 19, 24.
Marsilius Ficinus, 10, 11.
Mathalenus, 125.
Mauricius Imperator, 183.
Medicaea Gens, 12, 13, 14, 39, 146, 205, 206, 207, *Vid.* Leo X, P. M.
Michael VII Caesar, 228, 231.
Michael Glycas, 46.
Monstreletus, 104.
Muretus, 16, 17, 19, 25, 138-145, 181, 182.
Myrteus, 45.

Naugerius (Navagerius, 19, 118, 161.
Nebrissensis, Antonius, 45, 98, 112, 214, 215.
Nicephorus, 46.
Niccolus, Nicolaus, 43.
Nicolaus V, P. M., 39.
Niger, Hieronymus, 123.

Oricellanus, 13.

Paleotus, 125.
Palladius, 125.

Pantagathus, 19.
Paulus, Iovius, 19.
Perottus, Nicolaus, 107, 215.
Perpinianus, 3, 4, 7, 9, 36, 37.
Petrarca, 28, 39, 44, 191, 193, 216.
Petrasancta, 116.
Petrus Helias, 219,
Petrus Ravennas, 106.
Phaedrus, 125,
Picus, Ioannes (Mirandula), 10, 19, 20, 21, 26, 41, 107, 205, 209, 210, 211.
Pius II, P. M., 98.
Plato, 10, 11, 12, 20, 21, 36, 226, 229, 231, 232.
Plotinus, 226.
Poggius, 191, 192.
Politianus, 19, 27, 32, 39, 41, 98, 107, 109, 205-208, 209.
Pontanus, 19.
Porcius, 125.
Porphyrius, 232.
Proclus, 226, 232.
Psellus, Michael, 225-228, 231, 232.
Ptolemaeius, 162.

Quintilianus, 16, 17, 23, 44, 177, 191, 192, 196, 203, 208, 214, 220, 221.

Raphael, 40.
Rapitius, 142.
Ricardus Episcopus, 218, 219, 224.
Ricardus a S. Victore, 44, 99.
Robostellius, 19.
Robertus Meludensis, 217.
Robertus Pullus, 219.
Rolandus Italicus, 105.
Ronsardus, 22.
Rudolphus Agricola, 29.

Sadoletus, 2, 16, 19, 116-137, 141.
Sannazarius, 19.
Savoia, 118.
Scala, 43.
Scotus, 101.
Scotus, Ioannes, 209.
Sfondratus, 172.
Sfortia, 170.
Simon Pexiacensis, 219.
Sincerus, Actuis, 161.

Tertullianus, 156.
Theophrastus, 20, 36.
Thebaldeus, 116.
Theodoricus, 219.
Thomas, S, 209.
Trapezuntius, Georgius, 29, 34, 35, 93, 193.
Traversarius, 28, 29, 194-197.
Trissinus, 162.

Valera Hispanus, 104.
Valla, Laurentius, 100, 193, 198-204, 212.
Valorius, 13.
Varinus, 107.
Vegius, Mafaeus, 212.
Vergerius, 25, 26, 30, 190, 191.
Vespuccius, 33, 34.
Victorinus, Feltrensis, 1, 2, 191, 194-197.
Victorius, Petrus, 3, 5, 12, 24, 39, 146-152.
Vida, 12, 13, 19, 117, 161.
Villanus, 33, 43.
Vives, 23, 85-115.

Willermus Suessionensis, 219.

Zanchius, 19.
Zasius, 112.

EIUSDEM AUCTORIS :

STUDIES

IN THE

HISTORY OF CLASSICAL TEACHING

IRISH AND CONTINENTAL

1500-1700

CRITICAL NOTICES.

From *The Classical Review*, London.

This most interesting work deals chiefly with the life of William Bathe, S. J., of Dublin (1564-1614), and his method of language-teaching, embodied in his book *Janua Linguarum*, which was not only employed for a whole century in the secondary schools of England, Germany, and Southern Europe, but also formed the basis of the more famous *Janua Linguarum Reserata* of Comenius. Bathe belonged to an illustrious Irish family, closely connected with both the Land and the Law...

To his account of William Bathe and his work the author appends a general account of the practice of classical teaching in the Post-Renaissance period, which is of special interest at the present time owing to the revival of direct methods of Latin-teaching. Father Corcoran takes the opportunity of criticising the school methods of the present day, so largely based on the passive acquisition of facts, with the aims of earlier centuries, in which the pupils were trained before all things to self-expression. Then translation into the vernacular was practically unknown ; the learner was called on to build up for himself a theme in imitation of Cicero and Terence. To the decay of this practice the author traces, not without weighty grounds, the decadence first of English prose, and recently of French also. His admonitions are based on a wide outlook, and are temperately though firmly expressed ; they deserve the careful attention of educational reformers.

From *The Times*, London.

Consule scholas Jesuitarum. The classical teacher, whose debt to the Jesuits is perhaps more than he knows (did not the « Gradus » itself originate from one of the Society ?), will do well to avail himself of a fresh opportunity to follow Bacon's advice by reading Professor Corcoran's new book. The Professor of Education in the National University of Ireland has based upon the lucky discovery of a complete copy of the Irish Jesuit William Bathe's *Janua Linguarum*, published at Salamanca in 1611, a stimulating study of the methods of Post-Renaissance

classical teaching, methods which he shows are far from those generally practised in the present day. The result of Professor Corcoran's conclusions is a sharp challenge to the whole theory of classical education as we now know it. (Extract from a column review in the « Educational Supplement. »).

From *The Spectator,* London.

A book like the *Janua Linguarum* has a claim to be rescued from forgetfulness. Its Latinity is alive... It just hit the taste of the age, and therefore deserves study as an important document in the history of education... The able and important chapters in which Professor Corcoran examines the bearing of the work on the methods of classical teaching.

From *The School World,* London.

The book is full of learning, and contains original matter of importance... The description of the Jesuit method in the class-room, by a careful observer, John Dury... is a valuable novelty, the only thing of its kind, so far as we know ; and alone this would make the book worth buying. It is clear that no student of education can afford to do without Mr. Corcoran's book, and we offer our hearty congratulations upon it.

From *The Journal of Education*, London.

This learned volume is in two parts. The first is an account of William Bathe ; the second treats more generally of classical teaching in the Post-Renaissance period, 1500 to 1700. The *fons et origo* of the work was the discovery at Madrid in 1907 of a complete copy of Bathe's *Janua Linguarum,* issued in 1611 for the Irish Jesuit College at Salamanca — that is, twenty years before the famous *Janua* of Comenius appeared. We do not think that the author has succeeded in dethroning Comenius from his established position as a great educational reformer ; but he has proved to the hilt his indebtedness to forerunners in the reform of language teaching and vindicated for Bathe something more than a note or paragraph in future histories of education. In the second part it is argued that we hear too much of the theorists, and too little of the actual practice in schools. Most instructive in the « Description of a Transmarine Schoole » extracted from the Sloane MS., drawn up by John Dury in 1645.

From *The Guardian*, London.

Father Corcoran thinks, quite rightly, that the aim of the early teachers was the power of self-expression, the aim of the moderns the gathering of facts ; and he points out that the former makes wise men of the world, the other pedants. We hope sincerely that his book may help in a reform which is much needed, especially in the matter of composition. This is an important book, and deserves the attention of all teachers.

STATE POLICY IN IRISH EDUCATION

A.D. 1536 to 1816

Exemplified in Documents Collected for Lectures to Postgraduate Classes, with an Introduction.

Critical Notices.

From *The Times* (London) *Educational Supplement.*

Father Corcoran's book on the extremely important history of education in Ireland breaks some new ground. Here we have 92 documents from the most varied sources... which illustrate vividly the progress or retrogression, as well as the fashion, of Irish education from age to age; and these are followed by 10 longer documents of high educational interest. The story from first to last shows an eagerness for learning worthy of the days when Ireland dominated the culture of Europe... The education in English charity schools, in the English endowed schools, in practically all schools became worse than ineffective, while in Ireland, somehow or another, the love and desire for learning among the commonalty survived. It did more than survive. It was a living natural force at the very time when, at the close of the Napoleonic War, English national education was the despair of every thinker... The hunger and thirst after learning had survived in Ireland for a period of a thousand years; and to-day, if it is allowable to prophesy, the future of Ireland will be determined by the persistence of that tradition.

From *The Contemporary Review* (London).

The Professor of Education in University College, Dublin, has in this collection of Irish educational documents, and in his learned and interesting introduction, added a new and fascinating chapter to the history of British education... Professor Corcoran's book has a peculiar importance, since it carries us down into the obscure deeps where Irish character — impatient, noble, uncertain, patriotic, restless, pure — was moulded... We welcome this book, not only for its treatment of State Education problems, but also for its collection of documents that touch inner school life, and so do something to reveal the inwardness of Irish character. (From a review extending to three pages).

From *The English Historical Review* (London).

His classes are fortunate in being thus brought into touch with the sources, and enabled not only to follow the professor's lectures intelligently, but to understand more clearly his methods of research, and perhaps now and again, with the evidence in their hands, to criticise his conclusions. And Dr. Corcoran has done well to offer his collection to a wider circle of readers. For about a quarter of the documents have never before been printed... All students will be grateful for what he has given them.

From *The Athenaeum* (London).

Documents, many of them extremely interesting, chosen to illustrate the history of the policy of the State in Ireland with regard to education. It deals with a subject on which there is little available information.

From *The Scottish Historical Review*.

We have need for more information regarding Ireland, and Professor Corcoran has done a service in making accessible important fresh material in the history of her education... His researches into educational sources need no emphasis. To a valuable task he brings a logical mind, a scholarly thoroughness and enthusiasm, and a gift of clear expression. The plan of the volume will commend itself to students, the indexes and introductory résumé guiding without permitting them « to dispense themselves from personal work on the texts ».

From *The Journal of Experimental Pedagogy* (London).

The book shows Dr. Corcoran as a teacher of History, and as an exponent of historical method in accordance with the best modern practice.

From *The Journal of Education* (London).

With a great deal that Professor Corcoran has to say we are in perfect agreement. He makes out an excellent case for his view of the English use of education as an *instrumentum regni ;* but we question whether it is desirable in a National University to emphasise points of difference... There is no suggestion that the book is written in a partisan spirit. It has a bias, of course ; that is inevitable under the circumstances ; just as the English reader cannot avoid having a bias in another direction. But Professor Corcoran is eminently fair, writes with great restraint, and in most cases lets his facts speak for themselves. If it could be arranged that all our English members of Parliament could be made to take the course at University College, Dublin, the book would probably do its best possible work. The principle of presenting « originals » is getting very general recognition among teachers, and a book like this is very welcome.

6582